47199/A

A XXXIV

18/s

42510

APHORISMI PRACTICI.

SIVE

OBSERVATIONES MEDICÆ,

QUAS TAM

Ex VETERUM quam RECENTIORUM

SCRIPTIS

In Uſum MEDICINÆ Tyronum

COLLEGIT,

Et in ORDINEM ALPHABETICUM

Digeſſit

R. SCHOMBERG, M. D.

Eſt inſuper quod commoneam, ut quæ legendo, audiendo, experiundoque notatu digna cenſebitis, ſtatim ad Memoriæ ſubſidium jam inde ab adoleſcentiâ in commentarios certa Alphabeti ratione, apum imitatores, digeratis.

LANCISIUS de Stud. Medic.

——— πάντα δ' αν σκόπης ὅλως
Ἑτέρων πέφυκε. ———

Philem. Fragment.

AMSTELÆDAMI & LIPSIÆ,

Apud PETRUM MORTIER.

MDCCLIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO ERUDITISSIMO
JO. STEPH. BERNARD,
Medicinæ Doctori apud AMSTELÆDAMENSES Celeberrimo,
S. P. D.
R. SCHOMBERG.

DUM Medicinam apud ROTTERODAMENSES facerem, multâ amicitiâ, quanquam eandem civitatem non incoleremus, conjuncti ſumus: quàm gratæ tunc temporis fuere (& ſemper erunt) mihi litteræ tuæ, plenæ humanitatis, officii, diligentiæ! Præclare

mecum agi putarem, ſi noverim tot me & tantas a Te, mi Bernarde, meruiſſe blanditias! ſed hæc eſt bonorum, ac verè eruditorum virorum conſuetudo, crudos plaudere labores, ut maturiores conemur. Dignitas & virtus cujuſcunque generis ſemel inveſtigatæ, facilè eluceſcunt; Tuo igitur Nomini libellum hunc dicare ſtatui, non quod Tibi, Suaviſſime Bernarde, (noli me putare hæc auribus tuis dare) ſed quod mihi ipſi honorem inde deferam & immortalitatem ---- Alium præterea mihi finem hinc propono, (glorioſum enim me confiteor) jam inter Literatorum πρoτέρους evecti, haud injucundum erit cum Tuam erga me amicitiam promulgare audeam, & , ut inquit *Hector* opinor

apud

apud *Nævium*, laudari me a laudatiſſimo Viro. Optimo jure de Te quod olim Libanius de *Marcello* ſuo dixit, obſervare fas eſt, quòd ſis οὐ γὰρ μᾶλλον ἀγαθὸς ἰατρὸς ἢ χρηστὸς ἀνήρ.

Quòd unde ſingulas Obſervationes decerpſi, haud adnotaverim, Te eò facilius excuſaturum ſcio, quando induſtriam meam (quantulacumque ſit) in hiſce colligendis animadvertes; præterea quod jamprimum privato, non publico uſui conſcriptæ ſint; Tuo vero aliorumque Amicorum hortatu (quid eſt quod non hæc inſtantia poſſit efficere?) emiſſæ, Tuam tutelam ſibi vendicant.

Vale, Bernarde Amiciſſime, & Medicos tam Arabes quam Græcos in Eruditorum emolumentum dilucidare

perge feliciter: *Amſtelædamenſibus* tuis valeas, noſtri ſæculi decus & ornamentum, vale, ἡμεῖς οἱ αὐτοὶ ϗ τῷ φιλεῖν ϗ τῷ θαυμάζειν. Dabam GARIANONI IX Cal. Julii MDCCL.

APHORISMI PRACTICI:

SIVE

Obſervationes Medicæ.

De Apoplexiâ.

CAuſa proxima Apoplexiæ, eſt vel Sanguinis ad cerebrum affluxus inhibitus; vel Spirituum animalium a cerebro & cerebello effluxus prohibitus.

Apoplexia non in cerebro ſemper quærenda: nonnunquam in vaſis cordis obſtructis, intercepto cruore deliteſcit— Hanc ſententiam etiam firmat WILLISIUS. Frequenter in iis qui Apoplectici moriuntur cerebri ventriculos ſanguine refertos deprehendimus.

Quibuſdam Apoplecticis facies rubeſcit, temporum & colli arteriæ pulſant, jugulareſque turgidiores apparent; cum ſcilicet obſtruuntur Carotides internæ & ver-

vertebrales, tunc copioſior ſanguis per externas diſtribuitur: arterias autem & venas affluente copioſo ſanguine facile extendi, patet in iis quibus mero incaluit, ſed maxime in gravidis, quarum vaſa quadruplo majora redduntur, vacuatoque humore ſubſident atque priſtinæ gracilitati promptè redduntur. Apoplexiæ cognati affectus ſunt, 1. Lethargus, a quo diſtinguitur, quod hoc affecti excitari poſſunt & in ſomnum recidunt, adeſt febris; Apoplectici non excitantur, excitati Paralyſin incurrunt ſine febre. 2. Carus, in quo reſpiratio eſt integra, ſenſim invadit: eo affecti puncti ſentiunt; in Apoplexiâ ſecus. 3. Suffocatio uteri, in qua faciei color mutatur & fit lividus, in Apoplexiâ non. 4. Syncope, in hac color faciei mutatur, dentes, os, manus, clauduntur; in Apoplexiâ laxa manent: in Syncope reſpiratio nulla & pulſus nullus. 5. Catarrhus ſuffocativus, qui hominem ſenſu & motu integro jugulat.

Obſervandum eſt ſi corpora viſcida, glutinoſa Polypi dicta, in corde & arteriis exiſtant, eadem etiam in venis infallibiliter occurrere.

Fortis ac vehementis Apoplexiæ indicium eſt ſtertor.

Definivit Blancardus Apoplexiam nihil aliud eſſe quam cerebri Paralyſin, ſive ab obſtructione intus facta, ſive a preſſurâ rei cujuſvis externæ.

Rho-

Rhodius obſervavit quod in omnibus affectibus comatoſis, præcipue *Lethargo* & *Apoplexiâ*, pulſus dum ex parvo fiebat magnus, & ſenſim in magnitudinem creſcebat, ægrotantes brevi moriebantur.

Apoplexiæ aut *Epilepſiæ* ſi ſuperveniat *Gutta Serena*, plerumque ſignum mortis eſt, vel vehementiæ morbi.

Apoplexiâ pituitosâ correpti, facie palleſcunt, graviſſimo ſopore corripiuntur, pulſus habent exiles, *vomitoriis* & *purgantibus* optime cedunt, *Sanguimis Miſſione* ingraveſcunt: è contra, in *Sanguineâ*, rubore ſuffunditur facies, vaſa ſanguifera capitis maxime turgent, ſopores non ſunt vehementes, nec pulſus adeo exilis, & a *ſectâ venâ* in melius abeunt; à *vomitoriis* aliiſque *impetuoſis* ſolent exacerbari.

Species *Apoplexiæ* duplex eſt: altera *acuta* & *calida*, quæ dicitur *fortis*: altera *debilis*, *diuturna*, & *frigida*: humor acris efficit *Apoplexiam acutam*; craſſus, pituita, & atra bilis, *diuturnam*. Minime alienum id videatur quod Hippocrates memoriæ prodidit: Sanum hominem ſubitò dolore capitis captum mutumque redditum, ac ſtertentem, intra ſeptimum diem interire: ſervari autem poſſe ſi ante eum diem febris ſupervenit.

Peſtiferum eſſe ſciendum eſt, ſi vel intermittitur multum ſpiritus, aut ſummâ difficultate trahitur. Utile eſt in hoc morbo hæmorrhoides patefieri.

Exiſtimavit HIPPOCRATES in *Apoplexiâ* potiſſimum intercipi eas venas ſive arterias quæ ſunt in collo, & in pectore, quia animadvertit in his partibus maxime apparere effectus interceptionis, difficultatem ſcilicet Reſpirationis & anguſtiam: unde Stertor, quæ communia ſunt *Apoplexiæ* ſymptomata.

Tres invenio apud HIPPOCRATEM *Apoplexiæ* differentias. 1. Ab humoribus acribus *Sanguini* in arteriis contento admixtis, ſanguis corrumpitur, naturalique ſpiritu privatus refrigeratur, concreſcit, & ſiſtitur. 2. Siſtitur etiam quandoque ſanguis ob tranſpirationis defectum, quem vaſorum plenitudo inducere potiſſimum ſolet. Spiritus enim per ſanguinem permeantes ejus eſſentiam conſervant; quia calidi ſunt, continuâ ventilatione egent, nam calidum omne frigido moderato nutritur, unde eo deficiente ſuffocantur ſpiritus, quibus orbatus ſanguis concreſcit, corrumpitur, naturalique motu privatur. Siſtitur denique tertio loco ſanguis propter affluxum frigidorum humorum, a quibus refrigeratus motu privatur. Hæc poſtrema a præcedentibus plurimum differt, in illis enim ſtatim corpus & ſenſu & motu privatur, qui in hac a principio adhuc conſervantur.

Venæ ſectio in *Apoplexiâ*, ægro ante paroxyſmum nimis debilitato, vel ſanguine

guine phlegmatico exiſtente, aut cautiſſimè aut planè non adhibeatur.

Cavendum eſt, ne *Cardiaca* plus juſto calida, ac nimis frequenter (uti mos eſt) exhibeantur; nam plus damni quam emolumenti ægro apportant.

In *Apoplexiâ* a plethorâ, non eſt dandum vomitorium.

Ex centum *Apoplecticis* qui ſanantur, vix unus evadit a *Paralyſi* aut unius partis aut lateris unius. Si febris progreſſo morbo ſuperveniat, eſt peſſimum ſignum, ut docuit HIPPOCRATES.

In *Apoplexiâ* a plethorâ, quocunque tempore invadat febris remiſſior aut validior, periculoſa ſemper erit.

Cavendum a volatilibus purè vinoſis, aliiſque ſincere, hoc eſt abſque copioſi fluidi admixtione, per os exhibitis.

Non ſunt laudandi qui ſtatim cucurbitulas ſcapulis admovent.

Prudenter & ex arte poſſe, imò debere in omni *Apoplexiâ* inſtitui venæ ſectionem judicat DE LE BOE SYLVIUS.

Balſamis tempora illinire eſt lapides ut molleſcant oleo inungere velle: aquæ & ſpiritus antapoplectici, ſanguinem accendendo & fundendo malum potius exaſperant quam opem ferunt.

De

De Anginâ.

SI in interiores muſculos Laryngis & Faucium ac Oſſis Hyoidis qui reſpirationi, voci & deglutitioni inſerviunt procumbat Inflammatio, cum vehementer tunc angat & velut ſuffocet, prima & deterior erit Anginæ ſpecies. Si vero in exteriores potius collum illic occupantes feratur muſculos, cum minus hiſce functionibus tunc incommodet, mitiorem & quæ cum tumore externo ſeſe quandoque manifeſtat, tertiæ ſpeciei dictam Anginam procreabit: Quod ſi vero tam ad interiores quam exteriores ſe muſculos diſpergat defluxio, medio modo ſe habens, ſecundæ ſpeciei appellata naſcetur Angina, in qua cum tumor non ita collectus & abditus, ut in prima ſit, ille in faucium interioribus ſe nonnihil profert, ibique poteſt conſpici. Juvenes ſenibus frequentius Anginâ corripiuntur, quod bilioſo ſanguine ſcateant: Viri frequentius quam Fœminæ (exquiſita ſcilicet) quod earum ſanguis frigidior, larynx minor, ac gutturis partes & venæ anguſtiores exilioreſque, qua de cauſa ſanguinem difficilius admittunt.

Angina ſæpiſſime fit a Menſium aut Hæ-

Hæmorrhoidum ſuppreſſione, quod eſt ſedulò animadvertendum.

Anginæ occultæ ſi ſupervenerit dolor lateris, ceſſante magnâ ex parte circa collum & fauces dolore & difficultate tum ſpirandi tum deglutiendi, *Anginam* converſam eſſe in *Peripneumoniam* ſignificat; pernicioſa eſt hæc mutatio, nam vel cito ægri moriuntur vel ſuppurantur.

Nullibi magis incaleſcit ſanguis, quam circa cor & fauces, huc aër frigidus accedens facile *Anginam* creat.

Cynanche eſt omnium periculoſiſſima; & raro hi Anginoſi moriuntur, niſi ſuperventâ prius *Peripneumoniâ*.

Quando nil ſentiunt, nec ſe male habere dicunt ægri, tum pereunt, ſanguis enim per Jugulares redire non poteſt ob inflammationem.

Si muſculi *linguam* moventes magis afficiuntur, potus deglutitio difficilior eſt: ſi vero *laryngis* muſculi magis lædantur, cibus difficilius ingeritur.

Non tantum in *Cynanche* muſculi *laryngis* interiores afficiuntur, ſed ipſe etiam *pulmo*: unde tanta *reſpirationis difficultas* & *ſuffocatio*: & notiſſimum eſt cum ſpiritus ad aliquam partem defertur magna copia, cum eo etiam ſanguinem transferri, qui ſi tanta copia affluat, ut a Naturâ commode regi nequeat, inflammationes & abſceſſus efficere ſolet, unde non mirum

eſt,

eſt, ſi in tali *Anginâ* pulmones purulenti evadant.

In *Anginâ* valde urgente ſi ſpuma circa os appareat, lethale eſt, ſignificat enim cordis ſummam anguſtiam, fervoremque intenſiſſimum. Somnus, ut in omnibus internis inflammationibus, maxime arcendus eſt.

Tantopere eſt ſanguinis miſſio in hoc affectu neceſſaria, ut a nullo contraindicante retardari debeat, imo fluentibus menſibus, aut lochiis; & in quocunque graviditatis tempore, ſanguis eſt detrahendus.

Gargariſmata (inquit PITCAIRN) ſunt ridicula & inutilia pro *interna* Angina, & *externa* ſuppurantibus eſt extrinſecus curanda.

In principio non ſunt ſecandæ venæ ſub linguâ, hîc ſæpiſſime peccant Medici.

Ad ſalivam movendam præ aliis laudat D. HARRIS pulverem ſequentem, ℞ Chryſtal. Mineral. Sacchar. Chryſtall. āā. p. æ. Miſce. Teneatur in ore ℈j. donec ſaliva abundaverit; tunc expuatur, horæ poſt quadrantem vel dimidium repetatur.

Si Angina vere Inflammatoria, & ut vocant Sanguinea, binæ ſanguinis miſſioni non cedat, cucurbitula ſcarificata ſcapulis imperato, & in melius ſtatim abibit.

Mulierem frequenter Anginæ obnoxiam irritis aliis, liberavi (inquit BAGLIVIUS) excitato *cauterio* in brachio: imo in morbis

bis circa collum & faciem proficua ſemper ſunt cauteria & ſcarificationes ſcapulis, &c.

Sæpius malo urgente, vena mane eſt ſecanda, ſub veſperam eæ quæ ſub lingua ſunt: nocte purgatio inſtituenda, atque ita quoque ſtrangulatio reſolvitur.

Aliquando etiam poſt miſſionem ſanguinis, ſtatim eſt medicamentum purgans, ſequenti die non expectato, propinandum. Id autem faciendum eſt, ubi diſcrimen ingens imminet, neque inducias morbus admittit. Venæ etiam jugulares magno cum ſucceſſu aperiuntur: ut ſaphæna quoque in Fæminis, cum menſes una ſuppreſſi ſint, ex quo duplex commodum eſt expectandum, ut non modo menſes erumpant, ſed tumor etiam in gutture ſubſideat. In Anginâ illâ in quâ nullus tumor apparet, detrahi debet ſanguis non ſemel, ſed ter quatervé, & largâ manu in Adultis.

Nulla inter Anginæ ſpecies æque periculoſa eſt ac ea in qua nullus tumor in faucibus ac collo apparet.

Quò fauces & cervix magis rubent, eò minus periculi ſubeſt, partes enim magis externas inflammari indicio eſt.

De Aſthmate.

REſpirandi difficultatis cauſa non ſemper in pulmonibus & thorace latet, temerèque & inſcienter multi illuc recurrunt, cum ſæpe aut hepar tumens, aut hypochondriaca affectio, aut affectus renalis, aut vitium nervorum à ſpinali medulla derivatorum ortum præbeat.

Aſthma deſcribi poteſt, quod ſit reſpiratio difficilis, crebra, & anheloſa, cum magna pectoris agitatione, & plerumque citra Febrem.

Notum eſt huic morbo obnoxios, ſæpe lectum ingredi non auſos, tantummodo in cathedra, aut ſuper cubile veſtibus indutos dormire poſſe: cujus ratio eſt, quòd corpore ſtragulis cooperto & concalefacto, ſanguis proinde in motum paulo citatiorem concitus & ferveſcens, uberiorem aëris inſpirationem requirit, quam per Tracheæ ductus coarctatos ſuppleri queat: nam quo plus ſanguinis quaque Syſtoles & Diaſtoles vice pulmones trajicit, eo propter accenſionem, ſimulque eventilationem ejus, aër copioſius & celerius ingeri regerique debet.

In omni Dyſpnœa, ob Nervoſi generis culpam excitata, pulſus ut plurimum ſatis for-

fortis ac debito celerior, ac interdum intermittens exiſtit.

Si difficulter ſpiraverit Aſthmaticus, venam brachii tundito, etiam *ſi Hydrope* laboraverit.

Si quis veſperi horâ ſomni, ſed præcipue poſt tres vel quatuor horas ſomno impenſas derepentè expergiſcatur ingenti aſthmate ſive ſuffocatione correptus, atque aperiat feneſtras, liberumque aërem deſideret, pro certo habeto illum *Hydrope pectoris* laborare; multo magis ſi pedes aut manus tumere cœperint, cum faciei nativo colore receſſo; & præ cæteris ſi accedat torpor ſeu incipiens Paralyſis brachii: hujuſmodi brachii torporem in aliis quoque Pulmonum morbis præſertim Peripneumonia obſervamus. Aſthmate laborantibus ſi Pleuritis vel Peripneumonia ſupervenerint, fere ſemper moriuntur.

Aſthmaticis Dyſuria ſuperveniens bonum, ceſſante derepentè Dyſuria, denuo Aſthmate corripiuntur. Exinde magis confirmatur quod pluries adnotavimus, nempe in morbis Pectoris ſemper ducendum eſſe ad vias Urinæ, naturâ id monſtrante: necnon magnum conſenſum eſſe inter Tibias & Pectus, Pudenda & Pectus, morboſque harum partium ad invicem commutari.

Aſthmaticis ſi Apoſtemata excitentur in cruribus, forſan ſolvetur morbus.

Acceſſiones Aſthmatis frequentiores ſunt

 cœlo

cœlo frigido & humido, præcipue inter crapulandum.

Aſthma vel à Parentibus vel ab intemperantia vitæ ſuccedit.

Aſthma in ſenibus perdurat uſque ad mortem, & quandoque in aliis.

Aſthma frequentius invadit obeſos & citò marceſcentes.

Si cum Aſthmate repletionis vel Catarchi cito diſſolventis vel diſſoluti adſit tuſſis humida, & ſubitò ceſſet, vel ſputum minuatur, remanente difficultate, mors oſtia pulſat.

Si paroxyſmus futurus ſit brevis, nempe duarum vel trium horarum, & æger è lecto ſurgat, Dyſpnœa brevi faceſſit, expuit crudum quendam & glutinoſum ſcreatum, inſtar Albuminis ovi vel ſolutionis Gum. Tragacanthi, hæc autem materies lineis nigris ſeu filamentis diſcriminatur: Si vero diuturnior futurus ſit paroxyſmus, videlicet, duorum, trium, vel quatuor dierum, primis diebus parum aut nihil exſpuatur, ſed tertio vel quarto die materia purulenta, magis cocta, & non adeo glutinoſa, coloris albicantis, virideſcentis, vel flaveſcentis, & in morbo inveterato ſaporis dulcis, inſtar ſanguinis aut Glycyrrhizæ, vel etiam ſaporis putridi, ſalſi aut acidi, & frequenter cum filamentis ſanguineis: intra ſpatium trium, quatuor, vel quinque dierum paroxyſmus prorſus finitur, & exinde pa-

rum

rum aut nihil expectoratur ante novi paroxyſmi exorſum.

Aſthma dividitur in *Humidum* & *Siccum*: prius expectorationem materiæ purulentæ conjunctam habet, alterum eſt mere convulſivum.

Cum ſit vitium leve δυσπνοια vocatur; ubi vehementius ſpiratur, ασθμα; quod ſi ita crevit, ut ſpiritum difficillime, ac non niſi rectis trahi cervicibus ſinat, ορθοπνοια dicitur.

Semper meliore utuntur valetudine qui anhelationem patiuntur, per quietem corporis, per jejunium, & ſereno cœlo.

Si ſit valde periculoſum Aſthma, vena ſemper eſt ſecanda; nam venæ ſectio ſemper paroxyſmum minuit, & ægrum levat, datque inducias, donec de aliis remediis proſpiciatur.

Fontanellorum uſus maxime laudat Aëtius in Aſthmate inveterato, poſtquam alia omnia remedia parum profecerint.

In Tuſſientibus & Aſthmaticis omittantur quantum fieri poteſt remedia frigida & ſicca, præſtant calida & humida cito ſe diffundentia.

In Aſthmatis paroxyſmo caveas tibi à purgantibus, ægrum in majores anguſtias præcipitantibus.

Aſthma quandoque in pulmonis inflammationem tranſit: cautus igitur ſis in uſu medicamentorum nimis volatilium, per

hæc enim in tenuibus pulmonum membranulis & magno ſanguinis gurgite continuo affluentibus faciliter inflammatio producitur.

Plures & diuturniores occurrunt paroxyſmi in æſtate quam in hyeme, in Auguſto ſeveriores ſemper; quanto diuturniores paroxyſmi, tanto majora intervalla, & vice verſa; calor lecti morbum exaſperat; extremum frigus eſt tolerabile ſine injuria. Magna pallidæ urinæ copia in paroxyſmo excernitur, ſed ſub finem rubicundior evadit cum ſedimento craſſiore. Quanto parcior & tenuior ſit victus in paroxyſmo, maxime in principio, tanto melius: minus erit chyli quantitas ad pulmones miſſi; & materia purulenta citius coquetur & evacuabitur, carnes itaque ſunt omnino prohibendæ.

In paroxyſmo Aſthmatis humidi optima omnium ſunt vomitoria, nec eſt quod exinde metuatur ſuffocatio — *extra paroxyſmum cum fructu propinantur cathartica, in paroxyſmo neutiquam conveniunt, malum etenim exaſperant.*

V. S. locum habet ſolummodo in Aſthmate ex vitio ſanguinis orto. *Succus Raphani* eſt potentiſſimum expectorans; *Gum. Ammoniac.* eſt optimum remedium.

Potio *Coffee* omnium maximè certiſſimèque inflammationem mirum in modum compeſcit in ipſo paroxyſmo, ait MUSGRAVE.

In

In paroxyſmo diuturniori, & periculoſo conveniunt (ut docuit Cous Senex) veſicatoria præcipue Tibiis applicata.

Iſtæ duæ cauſæ videntur Aſthmaticos facere, ſcilicet humoris craſſi & lenti copia infarcti in Bronchia Pulmonis, aut crudum aliquod tuberculum in Pulmonibus genitum. ——Morbus hic nomen habet à ſymptomate; neque enim anhelatio ipſa morbus eſt, ſed morbi ſymptoma —namque fiſtularum & cavitatum pulmonis anguſtia, ipſe morbus eſt.

De Arthritide, Podagrâ, &c.

DUæ ſunt cauſæ omnis Arthritidis, articuli ſcilicet imbecillitas, & ſuperfluus humor.

Perrarò quis Arthriticus eſt, quin fiat Nephriticus, non tam quod in Arthriticis lecto ſeu ſellæ affixis lumbi ac renes, ob aſſiduum decubitum & ſeſſionem graviter fatigentur, quam quod utriuſque affectus eadem ſit materialis cauſa.

Senibus facile Arthritis evenit quod carnibus liquefactis eorum articuli laxiores more antiquorum parietum dehiſcunt, unde & in ſenibus αραιωσις τις ab Hippocrate celebratur.

Differt à Rheumatiſmo, quod in hoc

ſoli articuli dolent, in illo vero non ſolum articuli, ſed etiam totum corpus, media ſcilicet inter articulos ſpatia, muſculi nimirum, eorumque membranæ, ac præſertim perioſtia, &c.

Dolor articularis à morbo Gallico differt, quod hic cum tumore fit per defluxionem, ille ſine tumore, ſed cum dolore totius perioſtii.

Arthritis fere ſemper incipit à pollice Pedis. Nuper Arthriticus quidam *Romæ* excrevit urinam craſſam & copioſam, quæ paulo poſt in conſiſtentiam gelatinæ coagulata fuit, & ita liber evaſit ab Arthritide.—Huic ſententiæ reſpondet quod optimè obſervavit LOMMIUS, ſalutiferum in his ſignum eſt Varices naſci, aut *Urinam craſſam & multam eſſe.*

Arthritis facillime mutatur in Colicam.

Ad 14 primos dies Urina coloratior eſt, quæ poſt ſeparationem in ſedimentum rubrum & quaſi arenulis refertum deponit: nec æger ut plurimum niſi tertiam potulentorum quæ aſſumpſit partem per veſicam reddit: alvus item ad dictos fere primos dies conſtipata eſt: Appetitus proſtratio, rigor totius corporis ſub veſperam, partium etiam non affectarum gravitas & moleſta ſenſatio integrum paroxyſmum comitatur: recedentem paroxyſmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maximè inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipſi quaſi ab

epoto

epoto veneno deſquamantur.—N. B. Animadvertendum eſt quod ubi quis ad multos annos Podagrâ laboraverit, dolor ſingulis paroxyſmis gradatim imminuitur, tandemque ægritudine potius afficitur quam dolore: dolor & ægritudo quaſi alternatim laceſſunt, *Dolor in hoc morbo eſt amariſſimum Naturæ pharmacum*, qui quò vehementior eſt, eò citiùs præterlabitur paroxyſmus, atque inſuper & longior erit intermiſſio & magis perfecta, & vice versâ. Bacchus dicitur Pater, Venus Mater, & Ira Obſtetrix Arthritidis.

In curandis Arthriticis topica fugiantur frigida & acida, quæ ex hoſpite faciunt incolam.

Podagrici ſi aliter exerceri non poſſint, exerceantur voce, ſcilicet vel libro altâ voce legendo, vel cum amicis colloquendo, vel canendo; aſſidua namque locutio & cantus ſunt inter genera exercitii.

Fugiantur viſcoſa & alia poros obſtruentia, quæ tranſpirationem impediendo Tartari generationi & contracturæ ſucceſſivæ anſam largiuntur.

In Podagra nodoſa fugiantur thermæ & ſalivatio, quarum illæ contractos reddunt, hæc vero ad *Charontis* cymbam podagricos deducunt. In diæta exulet interne vinum, externe frigus. In Diarrhœâ vel Dyſenteriâ Arthriticâ Laudano ſenſim eſt cohibendus fluxus, & poſtea expellendus

eſt cum cautela inimicus: ſi Laudano non obtemperet, unicum remedium eſt, ut ſudor provocetur methodo & medicamentis huic uſui deſtinatis; quod ſi fiat ad biduum vel triduum per duas vel tres horas continuas ſiſtetur ut plurimum Diarrhœa. D. Harris dicit ſe dediſſe Tereb. Venet. ʒvj vel ℥j in hauſtu non modo in Paralyſi verum & in Arthritide & Rheumatiſmo cum optimo ſucceſſu.

In Arthritide vaga ſcorbutica conveniunt, ſecundum Valshmidtium, omnia ex Pino, Aqua Pini, Eſſentia Pini, Extractum Pini, & ſimilia. Sudor omnium præſtantiſſimum, promptiſſimum & ſecuriſſimum eſt Anodynum in Arthritide: inter ſudandum enim dolor ita remittit, ut niſi moveatur membrum, vix percipiatur. Arthritici ad Thermas, quæ ex alumine conſtant, non niſi maximo cum judicio & præmeditatione ablegandi ſunt.

Affecta pars abſque tumore & tophis eſſe debet, antequam fomenta applicentur.

Arthritidis eſſentia & natura in articulorum repletione ab acuto Tartari Spiritu, vel Sale acerrimo vitriolato, nitroſo, aluminoſove facta, communis ligamenti diſtentione, nervorum tendinumque compreſſione conſiſtit.

Potiſſimum Veris & Autumni tempeſtatibus recurrunt, recrudeſcuntque, quod tunc temporis ſeroſæ defluxiones pluri-

mum

mum luxurient, quæ cum ad imbecilles articulorum juncturas impetu ferantur, concretamque ibi tartaream materiam vel augeant, vel diſſolvant, aut calcis vivæ inſtar, irrigando inflamment, fit ut dolores excandeſcant, & ſymptomatum vehementiâ miſeri Arthritici plus ſatis torqueantur.

Obſervatur vulgò Arthriticos eſſe libidinoſos; quia coguntur Arthritici cubare ſupini, & in calfacta ſpinali medulla turgeſcunt facile teſtes, &c.

In articularibus morbis ab iis diureticis eſt abſtinendum quæ impenſe calfaciunt & ſanguinem fundunt.

Podagra & Chiragra laborantibus aliquando & juvat lac aſininum; acrimoniâ enim ſeri hoc modo correctâ atque emendatâ, a ſævis iis doloribus, immunitas conſequatur neceſſe eſt.

De Aurium Affectibus.

SImili officio fungitur reſpectu Auditus Tympanum, ac Tunicæ oculi pupillam conſtituentes, reſpectu Viſus. Utræque membranæ ſpecies ſenſibiles refringunt & quaſi emolliunt, eaſque ſenſorio nonniſi proportionatas tradunt, cui

nudo ſi adveniant, teneriorem ejus Craſin facile lædant aut obruant.

Auris dolor ob ſenſibilitatem meatus Auditorii, & quia cerebro proxime adjacet, non caret periculo: intolerabilis fere eſt, & non raro ad inſaniam deducit.

Quicquid membranam Tympani irritat, & in convulſivos motus agitat, etiam tinnitum vel ſonitum aurium inferre poteſt.

Tinnitus aurium, qui ex frequenti percuſſione in caput, ac in regione temporum exoritur propter internam Membranæ Acuſticæ læſionem, non adeo facilè curatur, quin in ſurditatem degeneret. Quo magis in profundo hæſerit dolor aurium, eo magis nervum acuſticum afficiet.

Aliena in meatu auditorio illapſa, vel in eo genita, ſive viventia ſint, ſive corpuſcula mortua, ſi oculo patent, forcipe vel alio inſtrumento auriculari apto eximenda: cavendum ne multum lædatur meatus ob exquiſitum ſenſum, & ne protrudatur—Adjuvatur forti preſſione aëris naribus clauſis, vel & ſternutatione.

In affectibus Aurium fugiatur nimius medicamentorum uſus, quæ malum aut exaſperant, aut Chronicum reddunt.

Cumprimis aquoſa & oleoſa exulent, excepto Ol. Amygd. amar. & dulc. quorum illud ubi incidendum, hoc ubi mitigandum convenit. Deſtillata autem ſolitaria ob ardorem non nociva.

Fu-

Fugiantur quoque topica frigida, nervoſis partibus nociva; præſtant calida, cumprimis ſicca.

Nocent quoque ſternutatoria, quibus Maſticatoria longis paraſangis præferenda ſunt.

Præſtat univerſalibus & internis uti quam externis—Præcipue ſi affectus gravis, & corpus ſuccis refertum fuerit. Spongiæ autem in purulentis auribus ſummoperè conveniunt: materiam enim purulentam ex profundo attrahunt & abſorbent, partemque affectam ab injuria aëris vindicant.

Morbi Aurium, non ſolum intra aures nocent, ſed ad cerebrum progrediuntur; hinc Deliria, Phrenitides.

De Abortu.

UBi futurus eſt Abortus, neceſſariò prius mammæ gracileſcunt.

In regionibus vehementer calidis, frigidis ac intemperatis, mulieres facillimè & frequentiſſimè ſolent abortire.

Memorabilis eſt illa exclamatio Plinii, Lib. 7. Cap. 7. *Miſeret atque pudet æſtimantem quam ſit frivola animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerumque abortus cauſa fiat odor a lucernâ extinctâ!*

Plus

Plus negotii Abortus, quam maturus partus exhibet.

Abortus periculoſior eſt, ſexto, ſeptimo, & octavo menſe.

Ex Abortu mulieres convulſæ raro evadunt. Interdum per aliquot ſeptimanas aut per menſem fit aquarum ex utero effluxus immaturus, quod periculoſum eſt; metus enim eſt ne fœtus moriatur; hoc vero aliquando evenit citra ullam noxam.

Ut ut in præſervando Abortu adſtringentia & confortantia ſint optima, iis tamen non fidendum aut inſiſtendum, ſi fœtus jamdiu ſeparatus in utero fluctuet & (quæ ut plurimum conjungitur) uteri Hæmorrhagia, quam ſolitis adſtringentibus tractando adeo non curabis, ut potius plures inde perierint.

Quemadmodum ergo tali in caſu pellentibus & emmenagogis fœtus eſt promovendus, ita cavendum eſt, ne dum Obſtetrix ſimul fœtum extrahit, aut integræ Secundinæ aut portio illarum remaneat, intuſque putreſcendo Febres puerperarum lethales cauſentur.

Abortus a ſeroſa Cachexia metuendus, decocto Lign. Guaiac. optimè præcavetur.

Vomitus in Gravidis, ſi diutius continuatur circa medium Geſtationis tempus, potius per Phlebotomiam quam aliis remediis compeſcendus eſt: Ultimis menſibus eſt admodum pernicioſus, tunc blan-

da

da laxantia ſunt exhibenda & appropriata Stomachica, externe Emplaſtr. Stomach. Magiſtral.

Vomitio in Gravidis (inquit HAMILTONIUS) quæ ſitim excitat, & linguam aridam reddit, levi catharſi feliciſſimè ſanatur. — Vomitorium ſummo ſucceſſu pluſquam ſemel hiſce in caſibus propinavi.

De Bulimo.

DIſcrimen Appetitus Canini & Bulimi eſt, quod is vehemens ſit, atque inſatiabilis ciborum appetitus, citrà tamen facultatis caſum, hic autem ſit magna quidem fames, ſed quam conſequitur animi deliquium: præterea in appetitu Canino revomuntur cibi, ut faciunt canes, in Bulimo nullus fit vomitus.

Licet acidum in vino ſit occultum, perperam tamen in Bulimo laborantibus interdicitur, cum ob animi deliquium conjunctum maximè convenit, magis tamen, ſi fruſtulum panis vino intinctum comedatur.

Mica panis vino intincta naribus applicata præ cæteris curat Bulimum.

Sitim inducentia hic conveniunt, urgente enim ſiti fames imminuitur.

Plu-

Plurimi fame Caninâ detenti, vini generoſi potu ſanantur.

Cavendum, ne ante laxantia aut purgantia præſcribantur, quam acidum per enervantia & edulcorantia temperatum & cicuratum fuerit: Secus ſi feceris, tormina, Dyſenteria & ſimilia ſequi poterunt.

Is morbus a lumbricis interdum naſcitur. Fœminæ caſum memorat, de hac re, ALEXANDER, quæ voraci hoc appetitu laborans perpetuam in ventriculo roſionem ſentiret, cum dolore jugi capitis; ea poſt Hieræ ſumtionem Lumbricum longitudine duodecim cubitorum dejecit, unde omni malo ſtatim levata eſt.—Idem in Praxi frequenter occurrere teſtantur & FREINDII aliorumque eruditiſſimorum Medicorum Obſervationes.

De Cephalalgiâ.

DOlor Capitis vel univerſalis eſt, vel particularis, in quantum Sanguis, aut Serum ejus, modo per omnes ſimul arterias, ſcil. tum Carotidas, tum Vertebrales: modo ſeorſim per has aut illas, aut Symbolas aut oppoſitas noxam in Meningas transferunt: Hinc fit quod dolor interior aut caput totum, aut maxi-

mam ejus partem infeſtet: aut regioni cuipiam privatæ inhærens Hemicraniam modò in Latere, modò in Sincipite, aut Occipite producat.

Dolor Capitis vel extra Cranium eſt, vel intra cavitatem ejus: prior iſte & rarior & mitior affectus eſt, quia ſcilicet partes ſupra Cranium nec tam ſenſiles quam Meninges interiores exiſtunt, nec tam uberi Sanguinis affluxu irrigantur, ut à ſubito ac vehementi incurſu ejus ſupra modum diſtendi aut inflammari facile poſſint.

Dolorem Capitis internum hoc peculiari ſigno diſtinguit GALENUS ab externo, quod ille ad radices oculorum pertingit, hic minimè; hac ratione quod tunicæ oculorum à cerebri meningibus prodeant; hinc fit ut dolor eò uſque extendatur.

Difficultas quoque eſt in dignotione doloris meningem craſſam aut tenuem afficientis: hinc tamen conjecturam aliquam capere poſſumus, quod cum affectus in craſſiore reſidet, ad exteriora dolor vergit, ob pericranium illi connexum: Si vero tenuis, dolor profundior ſit, cerebroque immerſus quaſi eſſe videatur, quod per omnes Cerebri anfractus diſſeminetur, eoſque ambiat: In utroque tamen affectu dolor ad oculorum radices, cum oculi globus à Cerebri membranis tunicas accipiat, pertingere poteſt.

Si

Si caput leviter doleat, licet per plures dies continuet, *Cephalalgia* dicitur; verum ſi longo tempore maneat dolor, ac per diuturnos & frequentes circuitus redire aſſueſcat, &c. id genus *Cephalæam* appellamus.

Ex omni Cephalalgiâ per conſenſum, frequentiſſima eſt iſta, quæ fit ex ſtomacho. —— Idem Author (ETMULLERUS ſcilicet) affirmat ex omnibus dolorem Capitis ſcorbuticum eſſe contumaciſſimum.

Frequenti experientiâ conſtat dolores Capitis ex affectione ſtomachi productos partem capitis anteriorem magis afficere; contrà, ex affectione uteri, verticem & occiput præcipuè invadere: pariter mulieres hyſtericis obnoxiæ affectibus, ſenſum quendam frigoris in vertice capitis pati ſolent; eſtque hoc præcipuum hyſtericæ paſſionis diagnoſticum. Vomitus æruginoſus, & ſurditas, inſaniam in proximo eſſe ſignificant.

Quanquam Cephalalgia continua periculo non vacat (præſertim ſi in plures ſeptimanas ſine intermiſſione producatur) attamen de Curatione ejus non illico deſperandum eſt, quoniam hujus Cauſa, utut fixa, ſæpe longo remediorum uſu, imo interdum ſine illis, Naturâ & tempore ſanatur, utcunque in caſu fere deplorato medicina quadam opus erit, ne

præ-

præſens affectus in deteriorem, nempe ſoporoſum aut velut convulſivum tranſeat.

Ab utero pendere dolorem Capitis demonſtrant menſes ſuppreſſi, ſemen, aut aliud in illo computreſcens, vel circa illam partem humorum conturbatio: rarò enim ex peculiari cujuſpiam partis conſenſu quàm ventriculi aut uteri dolet Caput: nulla enim omnium Capite inferiorum pars eſt quæ magis & evidentius cum cerebro conſenſum habeat, quam Ventriculus per Nervos ſextæ Conjugationis, & Uterus per ſpinalem medullam, cui robuſtiſſimis tendinibus & ligamentis alligatus eſt; unde fit ut ab iis ſolis dolor ad Cerebrum, ſola condolentiæ ratione, nulla interveniente materia perveniat, cum uterque ab acrimonia humorum vellicatur & pungitur, aut multitudine ſolà diſtenditur.

Quum Caput parte aliqua aut circumcirca dolet, ſi pus, vel aqua, vel ſanguis naribus, ore, aut auribus exit, ſcire licet morbum ſolvi.

Millepedes curandis Cephalalgiis pertinacibus opem ſæpe egregiam præſtant.

Dolor Capitis poſt Morbillos aut Variolas totidem horis a paſtu accedens, præmiſſis univerſalibus Antiſcorbuticis & Chalybeatis curatur.

Camphora in Spiritu quolibet Cephalico ſoluta, & naribus attracta, Cephalalgiam

giam ſedat. Succus hederæ terreſtris naribus attractus Cephalalgiam penitus aufert.

In Cephalalgia habituali & pertinaci pulvis Mari Syriaci eſt fere ſpecificum, doſ. ʒſs Balneationes pedum in aqua tepida horâ ſomni optimæ ſunt in Capitis doloribus & gravedine.

Pulvis Cornachinus pro purgante in Nervorum & Capitis affectibus præcipuus eſt.

Dolor Capitis magna ex parte a ſtomacho fit; utantur igitur ægri ſtomachicis, diætâ, & clyſteribus —— Non intelligimus hîc dolores Gallicos & Hemicranias inveteratas, quæ aliunde ducunt originem. Plurimum conferunt in dolore inveterato decocta ſudorifica.

Oribasius in dolore Capitis miros ſanguinis per ſcarificationem detracti effectus narrat.

Dicit Pitcairnius in omni Capitis dolore convenire V. S. & quidem in vena jugulari, qualem vires ferre poſſunt.

Opiata, ante Univerſalia, vix ſunt uſurpanda.

De

De Cordis Palpitatione.

VITIUM hoc potiſſimum, & maxima ex parte, aut ſanguini, aut vaſis Cordi appenſis imputandum videtur: Prioris ratio ſatis conſtat, in quantum ſanguine aquoſo, atque ad effervefcentiam aut accenſionem minus apto præditi, uti virgines Chloroſi laborantes, atque viri & mulieres, cachectici, huic morbo plerumque obnoxii reperiuntur, & inſultum ejus a corporis motu citatiore fere conſtanter pati ſolent.

Practici omnes in Palpitationi obnoxiis a vehementioribus purgantibus abſtinent, ne humor commotus aut vapor affatim in Cor irruat idque opprimat.

Diuretica Palpitationi Cordis obnoxiis ubi ex craſſo ſanguine cor hujusmodi morbo laborat, prohibet SEPTALIUS, quod exhauriant ſerum ſanguinis, huncque craſſiorem reddant. In ea vero quæ ab humore aqueo & ſeroſo ortum ducit, nihil eſt quod facilius vim hujus morbi vincere poſſit.

Tremor Cordis Affectus eſt a Palpitatione ejus diſtinctus, imo diverſus exiſtit: In eo namque ipſius fibræ carneæ ſive motrices per ſe afficiuntur, nec prout in

altero iſto pathemate, cauſa morbifica in ſanguine aut in arteriis cardiacis conſiſtit.

Talia quæ coagulationem impediunt, ſumme proſunt: hinc Corallia, Oculi Cancr. Perlæ, Cinnabaris & Lapis Bezoar, proſunt; item ſuccus Citri, mixtura ſalina aliaque. Illud enim mirum eſt, & peculiarem diſcurſum requirit, quod Acida ſanguinem fluxilem & tenuem coagulent, craſſum vero & coagulationi deditum reſolvant; hinc & externè in dictis Cordis infirmitatibus acetum & acida ſumme proſunt; 1. quia ob ſalia Volatilia ſubito penetrant ad cor; 2. quia ſtimulant Naturam, quæ inde ad ſe redit; 3. quia reſolvunt ſanguinem, quibus non inconcinne additur a nonnullis; 4. quia abeuntes ſpiritus quaſi affigunt.

In morbo iſto tria remediorum genera maxime proficua eſſe ſolent, Teſtacea, Chalybeata, & Sale Volatili prædita.

Horrenda eſt, ſi crebrò incidit, idque poſt ſolutos morbos, cum multa Nauſea & Bilis Vomitu, qui Vomitus neque Nauſeam, neque Palpitationem Cordis finit.

Plerumque a nimio calore vel abundantia ſanguinis oritur Palpitatio: non autem iis ſemper modis fit, ſed aliquando a vaporibus ſurſum elatis producitur. Differentia autem ex hac ratione percipi poteſt, ſi ex priori cauſa ortum ducit, pulſus

pulſus inæqualis eſt; ſi ex poſteriori non item. Obſervari poteſt in palpitationis vehementi paroxyſmo majora eſſe pulſationum intervalla, & quo longiora hæc ſunt, eo violentiores eſſe iſtas.

In omni Palpitatione Cordis eſt flatulentum quid & ανεμια.

Venæ ſectio & purgatio, quoniam exinaniunt ſimul & revellunt, optime hic reſpondent. Sive oritur a nimio ſpirituum impetu, ſive a nimia ſanguinis rarefactione aut cohæſione, levamentum certè in ſingulis caſibus a ſanguinis quantitate imminutâ expectari poteſt.

In Palpitatione Cordis cave ab Opiatis, niſi per conſenſum.

In curandâ Cardialgiâ, ſi laxantia aut purgantia indicentur, opiati doſi conciſa miſceantur, ne ſolum irritando malum augeatur. Propinatis Abſorbentibus, fugiantur acida quæ cum prioribus ebulliendo malum augere ſolent. Ubi ſuſpicio Inflammationis fugiantur Vomitoria. Oleum Menthæ in omnibus Ventriculi morbis eſt proficuum.

De Cholerâ.

CHolera duplex eſt, una in quâ humores pravi ſurſum deorſumque cientur;

tur; altera ſicca, in quâ flatulenti ſpiritus acerrimique proritatio eſt.

In Cholera prodeuntium ſuppreſſio mala eſt, quia cruda ſunt. Oportet itaque ſi facile ac libenter exeant, permittere; ſin minus, ea incitare.

Si vires ægri exhauſtæ fuerint, & valde debilitatæ ante Medici adventum, ita ut extrema frigeſcant, recto curſu ad Laudanum confugiendum eſt.

In Curatione Choleræ, cumprimis humidæ, cave ne ab initio talia adhibeantur, quæ fluxum humorum acriorum & p. n. omnino cohibent: ſecus ſi feceris recidiva, morbo ſuo periculoſior metuenda eſt.

Cavendum etiam a purgantibus fortioribus, ne ignem igni addamus, cum & leniſſimi Cathartici operatio magis perturbet & novos tumultus excitet.

Anodyna & Opiata aut parce aut plane non ſunt propinanda, ubi vires jamdum ex toto ſunt proſtratæ, ne ſomno lethali accedente Medicus ægrum enecaſſe videatur.

De Colicâ.

QUoniam Meſenterium pars eſt valde ſenſilis, & humorum nervoſi generis afflu-

affluxionibus plurimum obnoxia, morbi Colici ſedes meritò ſtatuitur.

In Colica bilioſa ſuccedit frequenter Aphonia, & vox rauca, quæ per totum morbi decurſum durat; hæc vox rauca in febribus a Bile ortis apparere quoque ſolet, unde numerari pòterit inter Diagnoſtica morborum a Bile, ſive a ſalino-ſulphureis & aduſtis maſſæ ſanguineæ particulis.

In Colicâ pertinaci ſi ſudor copioſus & univerſalis ſuperveniat, labefactatis & reſolutis viribus, brevi paralyſin expectato.

In ea Colica, in quâ inæqualis diſtentio & adſtrictio ventris, rigidorumque muſculorum contractio adſunt, denotat Nervos potius quam Inteſtina in eadem affici.

Arcanum quendam ac inexplicabilem conſenſum obſervavimus inter morbos *Ventris* & *Cutis*; dolorem Colicum vidimus mutatum in Arthriticum; & è contra dolores Arthriticos per ſupervenientem Colicam aut Diarrhœam ſolutos. Hinc quadrat illud HIPPOCRATIS *Alvi laxitas, Cutis denſitas, Cutis raritas, Alvi denſitas;* ideo obſervamus in praxi, quod diuturnæ Diarrhœæ, irritis aliis per diaphoretica promptiſſime ſanari ſolent.

Non retineri excrementa, dolorem locum mutare, necnon & intermittere, ſalutem brevi promittunt. Dolor Colicus

quandoque tranſit in Abſceſſum, & aliquando in Hydropem.

Si Dolor Colicus fixus eſt, & febris adeſt, in Abſceſſum terminari ſolet, non ita ſi mutatur de loco in locum.

Affirmat ſe nullum unquam diſſecuiſſe ex Colica mortuum ſine Inteſtinorum inflammatione SPIGELIUS.

Dolor rodens & vellicans, verminans, pulſans, Inteſtinorum inflammationem indicat.

In Colica ſi Urina ſit tenuis & aquoſa, morbus eſt ut plurimum nephriticus, ſi valde colorata, ſcorbuticus.

Quum remediis non allevatur dolor, ſed figitur in parte, & vomitus poſt vomitum inſequitur, & ſudor frigidus oboritur, partiumque extimarum perfrigeratio, ad extremum perventum eſt. Nihil facilius Colicæ ſupervenit quam paralyſis: cave igitur ne opiata copioſius in ea exhibeas: ſolet enim poſt opiata magnus ſudor ſupervenire, & exinde paralyſis. Antidotum Colicæ eſt Chamæmelum, a quâcunque cauſâ demum oriatur.

Quando Opiata utuntur in Colicâ, ſemper addendum Caſtoreum, nam & Opii narcoſin corrigit, & doloribus medetur.

Dolor Colicus fere ſemper miteſcit in Semicupio, ideo in doloris pertinacia utere eo.

Ante uſum Opiati ſemper enema injicien-

ciendum; Diaphoretica cum Opiatis mixta feliciſſima ſunt in Colicis.

Pectori & Inteſtinis omnia frigida ſunt inimica, caveas igitur ab eis in talium partium affectionibus.

Purgantia quoque bene cedunt in Colica, præſertim ſi nulli adſint Vomitus & Febris, denturque in forma liquida.

In Pareſi & Colica fugiantur Thermæ, nam contracturam inferunt.

In Hypochondriacis curandis cavendum a purgantibus fortioribus draſticis, quæ ſi non valde noceant, nihil tamen efficiunt, quum Sennata & blanda laxantia ſubjecta hæc facillime contra movent.

In Colicâ Vomitoria aut nunquam aut cautiſſimè propinentur, ne in paſſionem Iliacam degeneret.

Notatu dignum eſt, experientia abunde teſtante, quod immediate poſt venæ ſectionem clyſmata vel leniſſima promptius operabuntur quam fortiſſima ante ſanguinis miſſionem. In acerbiſſimis torminibus cum vomitu, &c. Laudani grana quatuor vel quinque in Clyſmate dolorem in inſtanti leniunt, quum idem remedium per os nullum omninò afferat auxilium.

In Colicâ habituali pannus laneus, mollis & ſubtilis, immediate ſupra cutem Ventris continuo geſtandus: eſt enim loco quaſi perpetuæ fomentationis.

Valent Aquæ medicatæ ex Chalybe ac

Nitro, &c. hæ enim liberaliter epotæ, copià & pondere, & aperiendi (id eſt, incidendi) vi, mucorum illam viſcoſitatem abripient, e quâ dolor propagatur.

Virtutes aquarum ſulphur. Bathonienſ. (extra paroxyſmum) equitationis, &c. ſatis pateſcunt.

Commendatur juſculum Cancrorum fluviatilium & radix Allii pro pauperibus.

Apud Inſulas Indiæ Occidentalis notiſſima eſt Colica Pictonum, utpote quæ magnam vim hominum infeſtat; hunc Dolorem atrociſſimum ſanat Balſam. Peruv. frequenter ac magna doſi exhibitus, viz. guttas xx, xxx, vel xxxx Sacchar. albo inſtillatus bis vel ter de die—At Paralyſis huic remedio non cedit. Ipſe vidi plurimos miſerrimè excruciatos, ſequenti remedio ſanatos, viz. Piſſelæi Indici ℥ſs in hauſtulo *Spiritus Sacchari* ſive (linguâ vernaculâ) *Rum.*

Conſtat avenas calidas in ſacculo regioni ventriculi impoſitas vim habere diſſolvendi & diſcutiendi.

Equitatio Colico dolore vexatis eſt neceſſaria.

De Chloroſi.

IN fœdo virginum colore (qui morbus impropriè dicitur) ſigna modo icteri flavi, modo icteri nigrioris elucent, modo ex utroque promiſcuus icterus exiſtit.

Conſenſus eſt inter fœdum virginum colorem & icterum — ſed in ictero ea frequenter non apparent, immo raro, quæ crebro admodum in virginum defœdatione. In hac acerbiſſimi ſunt capitis dolores, ac maxime in ſincipite, non tanta in ictero macies corporis, nec anhelitus difficultas, quanta in fœditate iſtâ virginum, non ἀποσιτία, ſitis, urinarum alias crudarum, alias urinis jumentorum ſimilium, alias aquearum excretio, non ita turbida inſomnia, mentiſque vanis imaginibus perculſio, pavores, timores, plerumque ſuffocationes ac ἀφωνίαι, ac quod in iis viget maxime gradiendi impotentia, ὀςόκοπος inexplicabilis, &c.

Ex eis videntur illæ potiſſimum defœdari quæ prope moleſtas matres vitam otio & ſilentio tranſigunt, &c.

In Chloroſi & Menſium obſtructione curanda cautiſſime agat Medicus in propinan-

pinandis vomitoriis, a quibus omnino abſtinendum, ſi vitium tantum ſit in utero, periculum enim ſubeſt ne in iisdem Menſtruatio per vomitum cruentum ſuperflua cieatur.

Similiter Emmenagoga magna cum cautela propinanda ſunt, remotis ſcilicet per aperientia obſtructionibus. — Duci hîc vult *Natura*, non cogi; & quo benignius ægræ tales tractantur, eo citius convaleſcunt. — Secus ſi feceris Hæmoptyſin, Cardialgias lethales & ſimilia cauſari poteris.

De Diabete.

CUm recens eſt curari interdum poteſt Diabetes, cum in vetuſtatem incidit, nunquam poteſt. — Semper eſt Diabete laborantium urina aquea & ſubpallida, nec omnino coloratior, quamvis vinum rubrum potârunt.

Riverius ſolummodo Notham explicat: vera Diabetes eſt immutata ingeſtorum potulentorum per urinam excretio, Cœliacæ & Lienteriæ ſimilis: in hac ſpecie potulenta redduntur parum mutata, quoad colorem, odorem, ſaporem, &c. Sic vinum rubrum mingitur.—Exempla hujus ſunt rariora. — Valde differunt

runt inter ſe RIVERIUS & LISTER.

Eſt & alia ſpecies Diabetis quæ cœliaca urinalis appellari poteſt, nempe quando chylus cum urina aut loco urinæ prodit.

Per omnem vitam non niſi *ſemel* apud Nervios, quum illic Medicinæ artem exerceret LOMMIUS, obſervatum fuit hoc vitium — Et GALENUS profitetur ſe *bis* tantummodo ipſum morbum vidiſſe.

ZACUTUS LUSITANUS refert aliquem liberatum eſſe a Diabete Balneo frigido. Quicunque ad Diabeten ſive ſpuriam ſive veram inclinant, caveant ſibi ab acidulis. Inter aſtringentia hoc in affectu exulent Cydoniata; quamvis enim ſtomachi tonum (qui ſæpiſſime ſimul læditur) confortent, hic tamen cum urinam quoque ſtimulent, neutiquam conveniunt.

Diabeten ſanguinis potius & immediatius quam Renum affectionem eſſe, & originem ſuam inde ſumere credit WILLISIUS.

Incredibile eſt autem quanta ſymptomata afferat Ren male affectus.

Admirabile habet aliquid hic morbus.

Hoc affectu laborantes multo plus mingunt, quam bibunt, aut alimenti liquidi aſſumunt: Quod autem Authores potum aut parum aut nihil immutatum reddi aſſerunt, a vero longiſſime diſtat, quoniam

niam Urina in omnibus (quos unquam me noviſſe contigit, & credo ita in univerſis habere) tum a potu ingeſto, tum a quovis humore in corpore noſtro gigni ſolito plurimum differens, quaſi melle aut ſaccharo imbuta mire dulceſcebat: Prædicti erroris occaſio, ut opinor (verba hæc ſunt WILLISII) fuit urinæ color, qui ſemper crudus & aquoſus, velut Pica aut Hydrope laborantium apparet.

De Diarrhœâ.

UNo die fluere alvum, ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus diebus, modo intra ſeptimum conquieſcat.

Cum alvi profluvium in vetuſtatem incidit, tum, ſi ultro vomitus accedit, id ipſum conquieſcit.

Sudor Diarrhœis ſuperveniens morbum ſiſtit.

Pernicioſæ ſunt Diarrhœæ in morbis pectoris, ſuntque etiam infeſtæ puerperis & infantibus febre maligna correptis.

Quando in Diarrhœâ bilem croceam, rubiginis ferri diſſolutæ, aut lateris rubri non abſimilem excernunt patientes, humorem ſane peſtiferum in Diarrhœa apparet-

parentem, ut ex pluribus ægris mihi notum eſt, qui omnes perierunt.

Bonum ſi Diarrhœa Iræ ſuperveniat, & ſi hæc non ſuperveniat, febris ſuperveniet, &c.

Fluxus alvi porracei ac virides, vel mortem vel diuturnum morbum ſignificant, potiſſimum in acutis.

Semper obſervandum eſt, an Diarrhœam febris comitetur: hujus enim habenda erit ratio: non quod curationem variet, ſed quod de cauſis Diarrhœæ certiores nos faciat. Obſervationes practicæ docuerunt per vomitum feliciſſimè curari quandoque Diarrœam & Dyſenteriam.

Memini me aliquoties diuturnas Diarrhœas adſtringentibus aliisque remediis in caſſum tentatis, curaſſe, dum ſingulis diebus per triduum mane vomitorium darem, licet nulla ſigna docerent aliquid circa primas vias hærere, quod ſtimulo ſuo alvi fluxum faceret.

Ob hos effectus videtur Ipecacuanhæ radicula tantam famam habuiſſe, tanquam ad omnes Diarrhœas & Dyſenterias ſpecificum remedium.

Curatio Diarrhœæ non incipienda per adſtringentia, nam introducentur viſcerum & inteſtinorum obſtructiones difficile ſolubiles, quibus tandem ſuccedet Hydrops pertinax. Carnium eſus auget Diarrhœas,

arrhœas, cave igitur ab iis quantum poteris.

Spontaneas ſcorbuticorum aut ab errore externo natas Diarrhœas repentinâ adſtringentium exhibitione noli inhibere, ni hypochondriorum intumeſcentias, reſpirationis difficultatem, aliaque mala incurrere velis: idem de Diarrhœâ dentientium, & variolarum confluentium cenſendum.

Purgantia interim & laxativa cautiſſimâ afferas manu, illorum potiſſimum ratione habita, quæ blanda adſtrictione relaxatum ſtomachi & inteſtinorum tonum roborant.

Decoctum Rad. Tormentill. egregium eſt in omni Diarrhœâ & Dyſenteriâ tam benigna quam maligna, & omnibus aliis medicamentis præcellit. Gelatina C. C. in potu ordinario ſoluta, eſt admodum ſpecifica in Diarrhœis epidemice graſſantibus, ut & Gum. Arabic. in Decoct. Alb. ſolut.—Si adſint tormina vehementiores & teneſmus, convenit Enema ex lacte tepido & Theriac. Andromach.

In Diarrhœis habitualibus, per longum tempus durantibus conveniunt interne imprimis Martialia & aromatica ſtomacho grata, imo Thermæ.

Induſium laneum magnopere conducit ad curandam Diarrhœam habitualem, ut & equitatio & vectio in rheda. Obſervandum eſt appetitu & concoctione ſalvis, vix unquam nocere Diarrhœam.

Diarrhœa

Diarrhœa infantum non aſtringentibus aut narcoticis cohibenda eſt, ſed potius humores ferocientes cum Pulv. Teſt. compeſcendi ſunt & contemperandi, ut demum Rhabarb. expurgentur.

De Dyſenteriâ.

IN inveteratis Alvi Fluxibus, Dyſenteria, Teneſmo, Relaxatione Ani, &c. excipiatur per inferiora vapor Terebinthinæ prunis ardentibus injectæ, & ſanabuntur.

Dyſentericis vomitus bilioſus in principio, malus eſt.

Qui Dyſenteria pereunt omnes fere ex ſphacelo Inteſtinorum pereunt: patet id triduo ſaltem ante mortem; nam extrema frigeſcere incipiunt, pulſus ſunt exiles & inæquales, ſitis non urget, nec dolor in affecto loco, & nonnulli paucis ante mortem horis in delirium deſinunt.

Si ſingultus accedat, lethale: ſi angina, lethale—ſi vero accedat difficultas deglutiendi, mortem imminentem prænuntiat adſtantibus.

In lethali Dyſenteria ventriculus quoque in conſenſum trahitur, unde tot mala.

Si ſtatim poſt dolorem excretio non

 fiat,

fiat, ſcito quod Inteſtina tenuia ſunt læſa.

Differt a ſanguinis fluxu hæmorrhoidali Dyſenteria, in hoc enim ſemper ſanguis præcedit fæces, in Dyſenteria vero, vel poſt vel cum fæcibus excernitur.

Si afficiatur Jejunum Inteſtinum, lethale eſt, jecur namque vicinum eſt.

Si in Dyſenteria adhibueris Opiata, & altero mane color oculorum ægri eſt mutatus, certo non ſuperabit morbum: ſi vero color oculorum immutatus remaneat, indicio eſt ægrotum poſſe reconvaleſcere.

Inter Dyſenterica laudantur Rhab. toſt. Flores roſ. rub. & Nux Moſchata, ſed præcipue Rad. Ipecacuanh. parva doſi exhibita.

Si in Dyſenteria flatus qui prius non aderant, per inferiora exire incipiant, brevi ſanitatem promittunt.

Aphthæ mortem imminentem ut plurimum denuntiant.

Obſervatum eſt, intempeſtive ſuppreſſâ Dyſenteriâ quoſdam in Epilepſiam incidiſſe, alios in Pleuritidem, alios in Inſaniam, &c.

Temerariam ac ſine ratione ab aliquibus uſurpatam conſuetudinem improbat ALEXANDER, qui ſtatim Opiata ingerunt, hæc enim in tempus quidem humores cohibent, verum & caput afficiunt, & vires infirmant, & poſtea fluxum in-

incitant, quamobrem eorum uſum, niſi urgente neceſſitate, prohibet.

De Epilepſiâ.

E variis ſententiis duæ præ cæteris magis probabiles videntur, & pari veriſimilitudine aſſenſum ſibi vendicant; quarum una aſſerit cerebri Meditullium, atque altera Meningas ipſum inveſtientes eſſe primariam Epilepſiæ ſedem.

Epilepticos fieri Melancholicos, & viciſſim aſſerit HIPPOCRATES.

Spuma circa os, & involuntarius ſeminis, urinæ, & excrementorum alvi exitus, non ſunt Epilepſiæ ſigna neceſſaria, ſed tantum vehementis: propterea dicebat RHAZES, quod ſi ſpuma ſuperveniat, & ſemen, aut urina, aut alvi excrementa egerantur, tunc paſſionem eſſe graviorem.

Saliva ſpumoſa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pneumonici aut contrahuntur aut a functione ſua inhibentur, non raro ſuccedit.

Multos inde evaſiſſe Epilepticos vidit FERNELIUS, quod in curanda Lue Venerea, dum unguentis ex Hydrargyro illinerentur, nonnihil in aurem & in cerebrum penetraſſet.

Quod a primo morbi inſultu ſtatim ἀναισθησία cum membrorum & viſcerum fere omnium contractionibus ſuccedit, hoc manifeſto indicio eſt, unam totam ἐγκεφάλȣ compagem, & nervorum omnium origines a cauſa morbifica occupari.

A decimo quarto tamen anno ætatis uſque ad vigeſimum, aut vigeſimum quintum, non niſi duos Epilepticos ſanitati reſtitutos fuiſſe, ab eo tempore quo praxin exercuit, obſervavit HILDANUS.

Comitialis Morbus cùm aliàs ſit difficilis, tum hoc ipſo mirabilis prorſus medentibus viſus eſt, quod *novâ* imprimis *plenâque Lunâ* ſoleat recurrere—*Regit* (inquit GALENUS) *Luna in Epilepticis periodos.*

Vidit T. BARTHOLINUS puellam *Epilepticam habentem in facie maculas, quæ pro variâ Lunæ phaſi tam colore quam magnitudine variæ erant—Tantum* (ait ille) *corporibus noſtris cum cœlo commercium.*

Infantes quibus cruſtæ ſcabioſæ in capite ſuperveniunt, raro corripiuntur morbis Epilepticis.

Utile eſt obſervare num ſemper eo tempore quo infans corripitur Epilepſia matri fluant menſes necne?

In eodem morbo ſi mens læſa eſt & nervorum facta reſolutio, *Medicinæ locus non eſt.*

Idem morbus magna ex parte eſſe longus ſolet, uſque ad diem hominis ſupremum,

mum, neque vitæ tamen periculoſus, tametſi interdum cum recens eſt, hominem tollat crebris, gravibuſque acceſſionibus.

Nihil æque ad depulſionem vitii hujus, ac proceſſus ætatis facit. Nam pueris fere poſt conſuetudinem cum fœmina ſolvitur, & puellis poſt orta menſtrua. Quod ſi annum vigeſimum quintum jam ſuperavit, ægerrimè aut certè nunquam ſaneſcit— Illud etiam non perperam animadverſum eſt, prægnanti fœminæ ſi morbus acceſſit comitialis, hunc, facto partu, ſolvi: & ſi quid inde vitii fœtus traxit, id magna ex parte conquieſcere, ubi editus in lucem infans protinus evomuerit, multumque ejecerit aquoſi excrementi: ſin minus manere morbum.

Spirit. Sal. Ammoniac. lac infantum in ventriculo coagulat, cave ideo ab illo in eorum Epilepſia.

In curandis Epilepſiis contumacioribus vomitoria etiam repetita, negligenda non ſunt, ſine quibus nullam Epilepſiam curari WEDELIUS teſtatur. Cavendum ne Cinnabarinis ſalia cumprimis fixa miſceantur, ne mixtura Mercurio ſublimato ſimilis hinc emergat & convulſiones augeat.

De Eryſipelate.

IN omnibus quidem externis partibus Eryſipelas excitatur, ut plurimum tamen circa nares & faciem, eò quod pars hæc facillime ſanguine tenuiſſimo ſuffunditur. — In cruribus etiam ſæpenumero oritur Eryſipelas, quia Natura a ſanguine bilioſo irritata, eum facile ad inguina, ceu emunctoria ſua propellit, qui poſteà in crura deſcendit—, & hinc fit, ut, qui in cruribus afficiuntur Eryſipelate, prius circa inguina ejuſdem partis doleant, cum glandularum nonnunquam tumore.

Experientia comprobat Eryſipelata ferè ſemper fieri a ſanguine tenuiſſimo, id eſt, a bile alimentaria.

Si apparet tumor, qui colore ruber ſit, & rubore clare aſperſus, & modicè aut fermè inſenſibiliter attollat partem in tumorem, & inſigniter ſit calidus, ac dolens dolore pungitivo, & tactui non renitatur, neque tenſus ſit, & modò unum, modò alium locum apprehendat, ſtatuendum quod tumor ille ſit Eryſipelas exquiſitum. In Eryſipelate quod conſiſtit in cervice, capite & facie, ſive purum ſit, ſive Phlegmonodes (quamvis raró videtur purum Eryſipelas in facie) perpetuo ſtatim eſt

eſt vena cephalica vel humeralis ſecanda, propter periculum Anginæ, & recurſum materiæ ad interiora. Habet quidem doloris aliquid, ſed longè moderatius quàm Phlegmone, neque ut illa pulſat, premit aut diſtendit. Verùm multò calidior eſt & aſpectu flavior, & ſi tetigeris, ſanguis facile refluit, rurſuſque affluit valde tenuis & rubens. Tale quidem eſt propriè dictum Eryſipelas & exquiſitum. Semper utile eſt ab interioribus ad externas partes Eryſipelas verti: peſtiferum ab hîs ad illas demigrare.

Eryſipelate faciei laborantes purganti remedio curantur.

In faciei morbis purgantia omnem quoque paginam abſolvunt, ut præter experientiam teſtatur *divinus ille Senex* in Coacis.

De Fluore Albo.

PEte a muliere an ſuperveniente menſtruo ſanguinis fluxu perſeveret quoque eodem tempore fluor ille Albæ Materiæ, ſi dicat quod ſic, ſignificato eidem quod morbus a quo divexatur ſit Gonorrhœa Gallica; ſi vero durante menſtruatione Fluor Albus evaneſcat, & eadem

finita regrediatur, pro certo habeas mulierem fluore albo uterino laborare.

Fluor muliebris albus non Gallicus eſt viſcidus, at Gallicus fluor non eſt viſcidus, ſed tenuis & ſeroſus planè.

Reſtrictis menſibus, a ſanguinis redundantiâ oritur Fluor Albus; quod non modo evincit ratio, ſed & experientia confirmat. Fluore Albo ſemper ferè laborant eæ quas menſium fluxus nimius exhauſit.

In curando Fluore Albo fugiantur purgantia fortiora, quæ malum exaſperant, adeo ut, obſervante PLATERO, iiſdem excitatus fuerit in iis, quæ nunquam antea malo huic obnoxiæ fuerunt.

Fluxus hic non ſubito & intempeſtive ſiſtendus, cumprimis ſi habitualis fuerit, hinc ad ſpecifica & adſtringentia nonniſi præmiſſis præmittendis eundum—V. S. tamen exulet, quæ partes flaccidiores reddit magiſque debilitat.

Fugiant quoque fluore hoc detentæ ſupinum decubitum ——.

In curatione fluoris muliebris animus in dubio vacillat, ſi fluor perſeverat magna incommoda ſequuntur; ſi ſupprimitur majora; maxima ſi a toto corpore eſt; eo ſuppreſſo vidit uterum *Gangræna* effectum BALLONIUS.

Mulieres, quibus copia majore manaverit Fluor Albus, cæteris ſymptomatis, quæ a menſibus inhibitis ſequi ſolent, minus

minus conflictari advertendum eſt. In nonnullis etiam menſium *prodromus*, & quaſi vicarius reperitur Fluor Albus.

De Febribus.

FEbres continuæ, quæ intra quatuor dies finiuntur, ſummè acutæ; intra ſeptem dies, exactè acutæ; intra quatuordecim, ſimpliciter acutæ ſunt. Febris ſi Phænomena illius ſpectes reliquis morbis eſt notior, ſi conſtitutionem & cauſam ignotiſſima—

In Febribus notæ coctionis & cruditatis imprimis ex alvi dejectionibus, & ſputis, ſed omnium maxime ex urinis deſumptæ ſunt.

Omnes febricitantes quamdiu ſputant, extra periculum ut plurimum ſunt in continuis æque ac intermittentibus.

Lingua ſordida ubique ſuſpecta.

Urina ſubjugalis (i. e. boum urinæ craſſæ & turbidæ ſimilis) quando in acutis febribus aut morbis apparet, ſemper mala capitis prænunciat: ſi ea apparente pulſus ſint parvi & debiles, æger ad ſomnum inclinat, gavitate capitis afficiatur, &c. ſoporoſos affectus & præſertim Lethargum mox mox ſupervenientem prognoſticato: contrà ſi vigiliæ, capitis dolores, ſitis, linguæ ariditas, ardores viſcerum, & ſi-

milia cum tali urina vigeant, vel delirium vel convulſiones, vel alios nervorum morbos jamjam imminentes prædicito. Sicuti urina ſubjugalis mala eſt in Acutis, ita contrà bona in nonnullis Chronicis, utpote Rheumatiſmo, doloribus articulorum, &c.

Qui febrium initiis conatum vomendi habuerunt, & negligentiá Medici, vel naturæ debilis impotentia, non vomuerunt, progrediente morbo graviſſimis correptos Diarrhœis ſæpiſſimè vidimus.

Quot diebus principium febris duraverit, totidem & augmentum, ſtatus ac declinatio: & quale fuerit morbi principium, vehemens nempe, malignum, impetuoſum, vel contrà lene aut malignum, talia quoque erunt, facta comparatione, alia morbi tempora: unde ex ſolo morbi principio, ſedulo & ſagaciter conſiderato, poteris prognoſticare adſtantibus durationem febris, necnon illius fauſtum aut infauſtum eventum.

Laudatiſſima eſt urina, quæ tales habet notas, quales in optima valetudine habere ſolet: ea mane reddita, poſt perfectam ciborum concoctionem, ſubſtantiá eſt mediocris, colore ſubruffa, in quâ id, quod ſubſidet læve, album & æquale eſt; ſedimentum quidem copioſius decidit, dum chylus intra venas conficitur, parcius vero ubi confectus eſt; ſed color per inediam intenditur, & quo diutius homo

a potu & cibo contineatur, eo magis ruf-ſus is erit.

Peſſimum ſignum eſt, ſi circa initia ſtatus morbi, urina rubicunda & contentorum excrementitiorum copia valde ſatura, ſenſim mutetur in tenuem ac pallidam: ſi pulſus evadat celerior, debilis, ac fere vacillans: denique ſiquidem tendinum ſubſultus præcipue dum pulſum ægrotantis tangimus, loquacitas, inſomnia horrenda, & hujuſmodi alia ſuperveniant: ſiquidem in tali rerum ſtatu, breviter erunt expectanda funeſta capitis ſymptomata, utpote deliria, vigiliæ, comata, vel etiam aliarum partium mala: ſed præ cæteris febris in malignam mutatio.

Quæ aquea eſt inter febres acutas, inſaniam ſignificat.

Ne fallat ſedimentum probabile, quod aliquando circa initium Febrium in urina conſpicitur; ſiquidem hoc coctionis cibi, & non materiæ febrilis indicium eſt: quod a cocto cibo provenit, ſenſim evaneſcit, quod a cocto morbo indies maturatur.

Spirituum robur in febribus ex pulſu certiſſime & fideliter ſumi poteſt: unde ſi robuſtus & æqualis ille fuerit, quamvis deliria, convulſiones, tremores, & prava alia generis nervoſi ſymptomata appareant, ſemper bene ſperandum: contrà ſi pulſus fuerit valde celer, debilis, & vacillans, utut reliqua ſymptomata ſalutem promittant, ſemper timendum; cum

tali

tali namque pulſu mors præ foribus eſſe ſolet.

Puerperis febri continua correptis ſi ſuperveniat Dyſpnœa ſive difficilis reſpiratio, ſemper periculoſa, nam magna ex parte moriuntur.

Si febricitantes nullo modo dormientes, manentes tamen quieti ſine ulla querelâ, & nullo modo loquentes, niſi interrogentur, & eis pulſus contrectetur manus retrahunt tremulas, omnes moriuntur.

In acutis & pernicioſis Febribus ſemper inſpice faciem an receſſerit multum a ſtatu naturali: ſi nimium receſſerit, periculum time in ægro.

Diariam omnem curaſſe quam noviſſe facilius eſt.

Facilis a continente non putrida in putridam, & ab hac rurſus in continuam tertianam tranſitio eſt.

Cognoſcitur febris ſecundo die fere. In febribus intermittentibus ſi ſecundus paroxyſmus erit vehementior primo, tertius vero maximopere mitis, ſcias febrem circa quartum paroxysmum totaliter ceſſaturam: ſi vero quartus fuerit paroxysmus vehemens, quintus vero ex magná parte remiſſior, tum in ſeptimo paroxysmo integra febris ſolutio expectanda.

Omnes qui extinguuntur febre aliqua intermittente, circa initia paroxysmi moriun-

'iuntur; raro autem in augmento, ſtatu, & declinatione.

In Febribus intermittentibus urina eſt ntenſè rubra, & colorem lateritium æmulatur, eſtque urina taliter colorata ignum fere pathognomonicum & maxime familiare talibus febribus: Si urina profunda rubedine tincta ſit, & aëri expoſita ſedimentum deponit lateritium, pro certo habeas morbum illum ſub quacunque ſpecie appareat, a fermento ebrium intermittentium originem ſuam leducere.

In curandis Febribus intermittentibus cave ne corpore non purgato, ſtatim a pecificis initium facias, ne aut continua ut hectica ſequatur.

Ante & intra paroxyſmum ægrum non ibato, cum ſtomacho jejuno exiſtente non cicuretur, ſed & prorſus abigatur feoris.

China Chinæ uſurus, eam non ante paroxyſmum ſed hoc declinante adhibe, & continua, ne M. S. conſulturus generi nervoſo noceas.

Chinam Chinæ dare in corpore impuo, id eſt in principiis morborum, nullis præcedentibus ſignis coctionis, & corpore on purgato, periculum eſt —; methodus amnabilis ac pernicioſa. Et revera magnæ ſt prudentiæ obſervare in ægris, quibus hlebotomia potius confert, & quibus purgatio potius, ut non peccetur in medendo.

Auris

Auris dolor pertinax cum febre acuta juvenes quidem ſeptimâ die occidit, & citius delirio correptos, niſi multum pus effluxerit ex aure, aut ſanguis e naribus, &c.

In malignis Febribus in quibus e contra ad ambitum corporis noxius humor pellendus eſt ante expulſionem reſpiratio laborioſa eſt, & ingentes præcordiorum anxietates adſunt: factâ expulſione paulatim declinant: idque in febribus petechialibus, morbilloſis, varioloſis, ſcarlatinis, & ſimilibus, &c.

Cum petechiis nonnunquam ſalutarem vidimus ſanguinis Hæmorrhagiam, præſertim ſi magnus graviſſimorum ſymptomatum aderit apparatus.

Apparentibus petechiis nil amplius in primis viis movendum: ſiquidem ipſa etiam enemata eo tempore maximopere ſuſpecta ſunto.

Petechiæ quo tardius & fere circa morbi ſtatum erumpunt, eo meliores ſunt, ad Criſin enim & coctionem jam vergit morbus, & tunc cum apparent Bezoardicis & Diaphoreticis magis magisque promovendæ; vitando interea, quantum fieri poteſt, alvi fluxum; contrà ſi appareant in principio morbi, malæ ſunt, inſignem namque ſanguinis fuſionem, diſſolutionemque oſtendunt.

Lypiriam febrim ſuperveniente Cholera ſtatim ac prorſus feliciter pluries ceſſiſ-

ſe

e teſtantur BAGLIVII Obſervationes; on ita vero apparentibus ſudoribus aut rina. — Cautè igitur procedat Medicus um Diaphoreticis & Diureticis in tali ebrium genere.

Sudores optimi quidem per omnes moros acutos ſunt, qui diebus judicatoriis ontingunt, & penitus a febre liberant.

Pruritus narium eſt infallibile ſignum ynochi ſimplicis, necnon lenis mador utis.

Febris hectica Gallorum, quamvis pro eſperata videatur, facillime tamen toltur, ablato Luis Gallicæ ſeminio per pecifica eidem opportuna.

In curandis febribus continuis cautiſſinus ſit Medicus ne febrem ardentem beignam curet pro maligna, & vice verſâ: inc in caſu dubio alterantibus ſemper niſceat Alexipharmaca.

Acutiores febres finire ſolent evacuaties, longiores abſceſſus.

In principiis febrium acutarum cave a urgantibus, cave pariter a remediis niium volatilibus & vehementibus, cruo namque adhuc exiſtente morbo, vel duces quæ non ſunt educenda, vel auebis febrem, vel jugulabis ægrotum.

Si nimia adſit vaſorum turgeſcentia, mpetus ſanguinis ad caput, pulmones, ut alia membra, imminetque Phrenitis, dſitque juventus, calida temperies, &c. n continuis ſemper ſanguinem mittito in prin-

principio, idque ante ſeptimum, eamque repete pro urgentia ſymptomatum.

Si vel minima ſuſpicio aderit febris malignæ a coagulatione, cave a S. M. tanquam a Peſte.

In cura Hecticæ Febriumque lentarum cane pejus & angue fugienda ſunt remedia Draſtica, cumprimis purgantia. Quo lenius tractantur, eo citius abiguntur.

Fugienda quoque nimis calida, balſama ſulphuris v. g. communi ratione parata: præſtat illa in his morbis cum Oleo Amygd. dulc. frigide expreſſo extrahere.

Cavendum quoque a mellitis nimium & ſaccharatis quæ humores circulantes magis inſpiſſant & acido occulto acriores reddunt. Cavendum pariter a purgantibus quæ mixtionem ſanguinis jamdum turbatam magis turbant, ſicque ignem igni addunt.

Cave porro a victu liberaliori, qui non ægrum ſed febrem nutrit. Malo meos ægrotos ſanos quam obeſos dicit alicubi HELMONTIUS. Referatur huc Aphoriſm. HIPPOCRATIS, Corpora impura quo magis nutriveris eo magis læſeris.

Dulcia male olent in febribus, cave igitur quantum potes a ſaccharatis in illarum curatione, nam per ea exacerbantur præſertim ſi hypochondriacis, hyſtericis & pueris præſcribantur. In omnibus acutis febribus venam ſecato. Quo febris magis ad ſtatum vergit, eo minus utendum

dum eſt refrigerantibus, ne per ea Criſis impediatur: circa initia vero liberalius præſcribenda, nam tunc nimia febrilis caloris acuties, impetus & orgasmus, graviſſima minantur mala, niſi per prudenter repetita humectantia & diluentia leniantur, motusque ſanguinis ad eam reducatur mediocritatem, quæ abſolvendæ depurationi ſufficiens eſt.

Quando in periculoſa & mali moris Febre Parotis ſupervenit, nec adſint magnus dolor aut inflammationis ſuſpicio, ſtatim utatur ferro candenti, quo pacto maligna materies ad exteriora magis magisque protruditur, & per ſuppurationem ejicitur: aliter timendum ne morboſus fomes denuo retrocedat ad nobiliora viſcera, & mortem afferat.

Parotis ſi ſymptomatice oriatur, peſſimum, omnes enim moriuntur; critice ſi veniat, bona. Symptomaticam dicimus, quando ea apparente ſymptomata adhuc vigent, & morbus ne minimum miteſcit, quin potius augetur.

Si febricitanti magnus in Perinæo ſit tumor, Iſchuriam aut alvi ſuppreſſionem producens, lethale eſt: gangrænabitur enim perinæum, & æger moritur.

In ardentibus febribus Sal Prunellæ eſt ſpecificum.

Medicus ex febre maligna aut peſte decumbentibus non ſtatim morbum aperiat, ne terrore ſpiritus magis turbentur,

cum vel ſolo illarum nomine mens ſtupeat, gelidusque fiat formidine ſanguis. — Adſtantes tamen hortari ſæpe decet, ut tractando ægros cautè mercentur. Cave nimium Volatilia & Oleoſa, cumprimis Camphorata, ſolùm absque nitratis ſumpta, quæ ut gravidis & pueris nocent, ita & aliis, ſanguinem ſpiritusque nimis inflammando ſæpe minus conveniunt. Præſtant Bezoardica fixiora, eaque crebrius iterata.

Somnus in peſte non nimium ſuadendus aut promovendus. — Ultra tres dies ſine noxâ vigilare poſſunt. Sin vero per quinque, ſex, aut ſeptem dies non dormiverint, bezoardicis opiata caute miſceri poſſunt.

Bubones quo citius in peſte erumpunt, eo melius, nam ita internæ partes a veneni tabe præſervantur.

Si protinus ab initio ſigna exhibet bona febris ardens, plerisque omnibus quarto die ſolvitur, nullis poſt ſeptimum manet. Tum vero aut vomitio fit, aut alvus profluit, ſudorve ex omni corpore, aut ſanguis e naribus fertur. Venæ ſectionem in acuta febre nemo ſine evidenti periculo præteriit.

Si quid vacuandum eſt, conſulendæ ex æquo vires omnes ſunt: ita in acutis præcipuè *Vitales*, in vetuſtis *Naturales*, in utrisque indifferenter *Animales*.

De

De Gonorrhœâ & Lue.

NOn proſunt Clyſteres nec Injectiones in Penem; immò hæ plurimum obſunt, & Carunculis ortum plerumque præbent.

Gonorrhœa nunquam evadet in Luem Veneream, niſi nimis intempeſtivè ſiſtatur per adſtringentium uſum. Morbo admodum inveterato & maligno ſubſiſtente, nullam magis efficacem medelam eſſe, juxta intelligentiſſimi cujusque ſententiam, ea quæ per ſalivationem inſtituitur affirmat FREIND; immò experientia docuit ſalivationem eam quæ per unguenta excitatur, in atrociſſimis iſtis caſibus certius reſpondere ſolitam altera quæ per interna fit remedia.

Inter plurimas optimæ notæ obſervationes a ſe relictas, hoc monitum poſuerunt anteceſſores noſtri; quo liberior, largiorque ſalivatio eſt, eo magis efficacem & certam fore curationem.

De Hydrophobiâ.

VEra Hydrophobia eſt canina rabies communicata a morſu canis rabidi, quæ in delirium agit, ſed non ſemper, imo frequenter dantur rabidi, qui ſibi mente conſtant, & morbi invaſionem ſentiunt, & rogant jubentque, ut ſibi vincula injiciantur, ne ipſi in amicos & adſtantes irruant, ex quo patet, quam nihil habeat morbus hic cum mania affinitatis.

Ex morſu animalis rabidi homines in delirium rabioſum ſive Hydrophobiam incidunt, quidam celerius, quidam tardius, poſt annum vel eo amplius, ſed frequenter poſt dies quadraginta.

Res quidem admiratione digna, cum ita affecti canibus fere ſimiles evadant: non modo rabie, latratibus, & morſibus æque peſtiferis, quibus obviàm factos petunt, ſed calida etiam ſiccaque intemperie & ſiti.

Hydrophobia non eſt animi, ſed corporis morbus: *Delirium hoc* igitur (bene obſervatum fuit a Cælio Aureliano) *totum oritur ex corporis ipſius malâ affectione.*

Pavor hic non à conſpectu *Aquæ* oritur; nam ex vaſe clauſo ſi jubeas per ca-

la-

lamum ſcriptorium ſugere, cumprimum guſtaverit, angore & convulſionibus afficitur.

Hoc vitio tentatus nemo ſervari poteſt. Signa præſagientia ſunt, *Anxietas* quædam, *iracundia*, *ſomnus ſuſpenſus & turbatus*, *ſtomachi gravedo*, *oſcitatio*, *& extenſio frequens membrorum*, *inſueta querela de aëre quamvis ſereno*, *parva bibendi voluntas*: Signum præſentis mali ad apicem provecti eſt omnium potulentorum *timor* & abhorrentia.

Sola applicatione Unguenti Ægyptiaci calidi, demorſum quendam feliciter totum inſequens evitaſſe malum teſtatur eruditiſſimus MEAD.

Alexipharmaca ſunt propinanda, inter quæ præ reliquis omnibus Cineres Cancrorum fluviatilium veteres Medici uno ore magnopere extollunt; GALENUS ait neminem periiſſe cui hoc remedium propinavit. — Sumendi ſunt Cineres ad quantitatem Coch. j. vel ij. ſingulis diebus ad dies quadraginta.

Frequens in aquam ſalſam marinam immerſio aliquando valet.

Cantharides quaſi ſpecificas in hoc morbo laudant ETMULLERUS & BACCHIUS.

Lichen Cinereus Terreſtris cum æquali quantitate piperis eſt laudatum remedium ad rabiem præcavendam in homine ac jumento.

Sequens remedium Indis Orientalibus fe-

feliciter uſitatum mihi maxime commendavit Vir fide digniſſimus, viz.

℞ Cinnab. Antimon.
Factitii āā gr. xv.
Moſch. gr. xij. Fiat pulvis mane & veſperi e cyatho vini generoſiſſimi ſumendus perquam plures dies vel pro re nata.

De Hæmorrhagiâ.

SI ex pulmonibus provenit ſanguinis ſputum, ſæpius vomicam, empyema, aut peripneumoniam, & hinc phthiſin poſt ſe trahit.

A pulmone prodiens ſanguis, ab eo qui a Thorace diſtinguitur, ex eo quod a pulmone eſt ſpumoſus, majori copia, & ſine dolore; a thorace vero nigricans, paucior, & cum dolore.

Tres ſunt ſpumæ gradus in concreto ſanguine; ex toto ſpumans è pulmonis carne, aut plurimum ſpumans è pulmonis vaſis, aut ſpumæ permixtus ex thorace.—

Διαπήδησίς, ſive tranſudatio, minus eſt periculoſa; ἀναςόμωσις, vel vaſorum apertio, magis; ῥῆξις, ruptio venarum, adhuc pe-

periculoſior—διάϐρωσις, eroſio vaſorum omnium periculoſiſſima.

Frequentius contingit ſanguinis vomitus ab hepate, & liene, quam ab aliis partibus, & a liene etiam ſæpius quam ab ipſo hepate; majorem enim conſenſum habet lien cum ventriculo, quam hepar.

Ut in Hæmorrhagia feroſa fugienda eſt venæ ſectio, ſic in Hæmorrhagiis & Plethora cane pejus & angue fugienda ſunt purgantia.

Cucurbitulæ & ventoſæ non ſcarificatæ regioni hepatis ad ſiſtendas Hæmorrhagias ſumma cautela ſint applicandæ.

In Hæmorrhagia narium ab Orgaſmo ſanguinis oriunda, cave ne turundis nares obſtruendo ſuffocationem inducas, ut in febribus acutis cumprimis malignis aliquoties obſervavit VALENTINUS. Quando Hæmorrhagia narium a febre pendet, Cortice Peruv. profligari poteſt, æque ac Hæmoptoë.

Ipſe ETMULLERUS novit exempla infantum & adultorum etiam frequenter Hæmorrhagiis obnoxiorum ſolo eſu paſſularum curatorum.

Hæmoptyſis eſt vel accidentalis vel habitualis, poſterior eſt Phthiſeos ſignum: Cort. Peruv. & optime & tutiſſime curatur.

Hæmoptoës cauſæ procatarcticæ & evidentes multiplices & variæ exiſtunt. In priore cenſu habentur imprimis pulmo-

num indiſpoſitio hæreditaria, ut cum ipſi debiles & teneri, cum pectoris anguſtia, originaliter fuerint: Secundo, inter cauſas evidentes referri debent, imprimis caloris aut frigoris exceſſus, quippe cum ſanguis ſupra modum æſtuat, aut tranſpiratio ejus per poros cutis impeditur, immaniter exinde turgeſcens, frequenter a vaſis pneumonicis erumpit: hinc notavit olim HIPPOCRATES, & etiamnum vulgi obſervatio eſt, hæmoptyſes ſæpiſſime in hyeme flante Borea accidere.

Qui ſpumoſum ſanguinem vomunt, dolore infra ſeptum tranſverſum non exiſtente, de Pulmonibus vomunt; qui ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, præcordium dextrum dolentes, de Hepate ſpuunt & moriuntur.

Ligaturæ ſanguinis e naribus & ore fluentis motum ſiſtunt brachiis injectæ—Sanguinem enim per venas ad affectum refluere in copia prohibent, & ſic pars affecta ab influxu liberatur.

De Hydrope.

DEfinitur Hydrops Aſcites, quod ſit tumor præternaturalis a collectione aquoſi, ſeroſi, & ſalſi humoris, cum vitio partium ſanguinem depurantium, eundem-

que

que perfecte elaborantium, puta Cordis, Hepatis, Lienis, Pancreatis, Meſenterii, vel Renum ſubinde exortus, atque in cavitatem abdominis, tam per venarum & arteriarum ductus manifeſtos, ipſaque vaſa lymphatica, quam ductus plane cæcos & inaſpectabiles, intra Peritonæum, Omentum, Tunicas, Inteſtina, cum Scroti & Crurum quandoque diſtenſione effuſus.

Omnem Aſcitem ab impuro ſanguine, excrementis ſeroſioribus referto, vel a quadam qualitate peregrina corpori noſtro inimica, aut partium viventium ſolutione profluere animadverſum eſt.

In Aſcite magna eſt Hepatis imbecillitas, major quoque obſtructio Vaſorum Lymphaticorum quam in Anaſarca.

Tympanites affectus prout curatu ſic etiam cognitu difficillimus exiſtit; nam licet exterior ejus ſpecies, ventris ſcil. ſubdurus tumor, renitens, & a pulſatione inſtar Tympani ſonum edens, ſenſuum una plurimorum indicio evidentiſſime percipiatur, attamen quæ ſit materies morbifica tumorem iſtum inducens, quomodo in ventre aut progignitur, aut aliunde illic advenit, non plane noſcitur.

Anaſarca totius Corporis potius quam imi ventris affectus ſic deſcribi poteſt, quod ſit *totius Corporis exterioris, aut quarundam ejus partium, tumor albus, mollis, tactui cedens, & foveam a compreſſione re-*

linquens, ab humore aquoſo extravaſato, atque tum intra muſculorum interſtitia, tum intra carnium, cutis, imò glandularum & membranarum poros aggeſto procedens. Differt ab Aſcite quoad formam externam & apparentiam, minime tamen quoad materiam morbificam, quæ in utroque affectu eadem.

Secundum WALÆUM aut inutilis aut non neceſſaria videtur Paracenteſis: inutilis, ſi interna adſit prava viſcerum conſtitutio, ſi jam Hydrops nimium invaluit, ſi in fine adhibeatur, ut plerumque fieri ſolet debili jam exiſtente ægroto, tum non raro vita cum aqua effluit: non neceſſaria, ſi interna rite ſe habeant, & natura per ſe ſatis valida, ut medicamentis adjuta, per ſe ſaburram aquoſam per loca convenientia expellere poſſit.

SANCTORIUS cauſas inquirens cur a Paracenteſi Hydropicorum cita mors ſuccedat, cauſam eſſe ait quod ab aquarum effluxu Eryſipelas in viſceribus & inteſtinis oriatur—BALLONIUS a viris fide dignis audiſſe ſe ait, qui id remedii uſurparunt, periculum ex eo non ſequi quod fiat ſectio, nec quod evacuetur aqua ſanioſa, aut quod rurſus ſuccreſcat novus humor, ſed quod qua parte ſectio facta eſt, Eryſipelas facile & frequenter conſequatur oboriaturque, deinde e veſtigio ſequatur Gangræna & Sphacelus. Cur ita hoc malum gliſcat & adhæreſcat, nequeunt rationem reddere,

niſi

niſi quod loco vacuatæ aquæ flatus neſcio quis malignus ſurgat, & quod occurſu frigidi inteſtina, veteri colluvie delectari ſolita, facile nigreſcant. Niſi ægri εὐσπλαγχνοὶ ſint, neque uſtio neque ſectio proderit.

Lien tam frequens Hydropis Aſcitis faber eſt, ut nullius Aſcitici corpus ſe apertum vidiſſe aſſerat DODONÆUS, cujus Lien non fuit tumidus & magnus.

Cauſa Hydropis immediata eſt partium Chylificationi & Sanguificationi deſtinatarum tum principum tum miniſtrantium, imbecillitas ſeu ἀτονία.

Notandum ſæpiſſime, ſine vitio Hepatis, ex imbecillitate Renum non attrahentium ſerum, Hydropem produci.

Caveant Practici a violentis remediis, præcipuè ἄνω καὶ κάτω moventibus; quoniam ab hiſce Lympha totius corporis (quæ æque ac ſanguis unumquodque ſuis in vaſis circumgyratur) impensè agitatur, agitata vaſa dilatat, diſrumpit, hincque in ſpatia inania, tum Pectoris tum Abdominis abundantius impellitur: commota aqua acrior, utpote a Natura minus ſubacta, & aſperior redditur, viſcera inſigniter labefactat, incendit, calorem nativum peſſundat, ut exaſperata febri, aucta ſiti, deperdito appetitu, inductis vigiliis, exolutis viribus, tragicus brevi ſubſequatur eventus.

Id

Id annotatione dignum eſt, quod ex frequenti corporum diſſectione obſervarunt Eruditi, omnes Hydropicos glandulas Meſenterii induratas habere, & Pancreas ſimiliter.

Morbo incipiente λευκοφλεγματία ſcilicet, ſi alvus ſponte profluit, principium ſecundæ valetudinis facit.

Frequens ructus deſiderium eſt in Tympania, eoque edito levari aliquantulum homo videtur. Pulſus ſub Leucophlegmatia undoſus eſt, mollis, & latior. In Aſcite parvus, creber, ſubdurus, ac tenſus. In Tympania longior, celerior, creber, non imbecillus, ſubdurus ac tenſus.

Securior cenſetur Hydrops, qui Lienis, quam is qui Jecinoris ſecutus tumorem eſt. Securiſſimus, qui nullo antecedente morbo cœpit: utique ſi firma viſcera ſunt; ſi ſpiritus facile trahitur; ſi nulla aut tuſſis, aut ſitis, aut linguæ ariditas eſt, præcipue a ſomno, quo tempore incidere illa maximè ſolent.

Peſſimum, ſi alvus quum libera ſit, abdomen non detumeſcat.

Omnem ſanguinis effuſionem vitare debemus in omnibus, maximè tamen in Hydropicis; in quibus omnis ſanguinis effuſio noxia, periculoſaque eſt. Non ſolum totam aquam ſubito evacuare mortale eſt, ſed etiam multam ac ſubitam evacuationem — quia e veſtigio decidit anima, vireſque concidunt, quas reficere diffi-

difficile eſt—Alia cauſa eſt, quoniam Vaſorum ora ab aquæ acrimoniâ erodantur; nam aqua Abdominis ob moram putredinem quandam contrahere apparet.

Vetat etiam ALBUCASIS, uti Veteres omnes, ac plerique etiam Recentiorum faciunt, aquam una vice emitti, ne ſyncope vel mors ſubſequatur: quâ de causâ operatio hæc, licet ab omni antiquitate uſurpata, ſemper fere periculoſisſima habita eſt.

Duo præcipua Viſcera, Jecur & LIEN, hoc affectu neutiquam vitiata frequenter comperta ſunt, ideoque non raro morbi cauſa in ipſo ſanguine quærenda eſt.

Ab omento putat HIPPOCRATES, nec ſine fundamento, raro enim accidit ut in Aſcite id non vel eraſum, vel abſumtum, vel putrefactum ſit: Peritonæi vero Glandulæ quemadmodum in hoc vitio ut plurimum afficiantur quotidie videmus.

Magnâ ſpongiâ novâ quæ totam Abdomen comprehendit, expreſſâ in *Aquâ Calcis vivæ* & ſuperligatâ, pluries etiam Hydropem ſe ſanaſſe, ſine ullo aquæ ſenſibili exitu teſtatur H. F. AB AQUAPENDENTE.—Frigidam quoque & humidam viſcerum intemperiem tollit, ita ut etiam Lienem induratum aliquando ſanaverit.

Hydrops ſuperveniens morbis Chronicis, & ætate graveſcentibus rarius curatur. Sudor in Aſcite plus nocet quam pro-

prodeſt; evacuationes per alvum & urinas ſunt magis proficuæ. In initio Hydrops tanquam Cachexia curatur. — Recte dicit LINDANUS, Qui vult curare Hydropem raro debet purgare, dare tamen tunc debet ea quæ certo ac vehementer purgant, ſed rarò; intermedio tempore appropriatis & aperientibus, &c.

Aſcites Anaſarcæ ſuperveniens eſt facilioris curationis quam morbus iſte ſolitarius propter humores circa viſcera, vel propter vaſa lymphatica aut lactea diſrupta eveniens. Si quando in Aſcite, a cathartico exhibito aqua copioſe cum εὐφορίᾳ per ſedem evacuetur, indeque Abdominis intumeſcentia quidpiam minuitur, de curatione non deſperandum erit; ſi vero Venter plus intumeſcat & velut Tympanitis evadat, morbi eventum non niſi funeſtum expectare licet.

Qui ex morboſo Jecore oritur Hydrops, vehementiſſimam ſed inanem conjunctam habet Tuſſim, quæ in aliis Hydropum ſpeciebus vix aut raro apparet. Qui affectibus Hypochondriacis, Colicis aliiſque imi Ventris Spaſmodicis diu obnoxii fuerunt, demum Tympanitici fiunt.

Hydrops qui Medicinæ concedit & revenit, eſt deſperatus. Hydrops omnis qui ex acutis morbis oritur, malus & lethalis. Hydrope detentus curari poteſt, ſi robuſtus ſit viſceribus, ſi bene concoquat

&

x ſpiret, ſine dolore ſit, & extrema colliquefacta non habeat.

Omnes fere Hydropici circa plenilunium moriuntur. Sequentem narrat hiſtoriam LISTERUS: „ Quædam Hydropica ab omni potione ex toto abſtinuit per menſem; ad ſitim autem fallendam ſic fecit, tenuem ac parvam particulam Panis toſti cum *Spiritu vini* intincti ſuper linguam detinuit ad ſalivam potenter movendam, & convaluit ".

Quod Ptarmica faciunt in naribus, idem *Elaterium* aut *Euphorbium* in inteſtinis efficere videtur, pituitam vehementer movendo. — Virtutes *Elaterii* per totam exercitationem ſummoperè extollit LISTERUS, & reverà laudem omnem exuperat.

Hydrope pectoris vel abdominis, vel cachexia laborantibus ſi color faciei rubicundus ſive mediocriter bonus derepente mutatur in plumbeum, æger repentina morte morietur paucis elapſis diebus, aut menſe ad ſummum.

Si æger Dyſpnœâ afficiatur horâ ſomni potiſſimum ingraveſcente, ita ut poſt paucas horas ſomno impenſas derepente expergiſcatur, & ſe ſentiat ſuffocari, feneſtras aperiat, & liberum aërem exoptet, *pro certo & infallibili ſigno habeas ægrum* Hydrope Pectoris *laborare*; nam &

pedes

pedes intumeſcunt, aliaque ſigna minus conſtantia aderunt.

In Hydrope Pectoris, præter pectoris tumorem & ſenſum fluctuationis, adeſt Tuſſis ſicca, difficilis Reſpiratio, Orthopnœa.

Cachecticos ne violentis aggrediare remediis, quo lenius tractantur, eo citius curantur.

Cave ne gravidam pro Hydropica cures.

In Hydrope confirmato, viſceribus jam corruptis viribuſque fatiſcentibus, Paracenteſin ne adhibeas, quæ in principio magis quam in fine confert. Cave a venæ ſectione & ſcarificatione, niſi Plethora aut Menſium Obſtructio urgeat.

In Anaſarca ſine febre unice præſtant ſtuphæ ſiccæ ſive ſudatoria in lecto S. A. facta.

Duo ſunt medicamenta palmaria, inquit noſter SYDENHAMIUS, viz. *Elaterium*, & *Infuſio Croci Metallorum*. Eſt etiam aliud medicamentum quod hunc morbum expugnat, vomitionem ac catharſin ciens pariter ac *Crocus Metallorum*, viz. ℞ Cort. interior. Sambuc. ℥iij. Coque in Aq. & Lact. āā. ℔j ad dimid. Colaturæ capiat ægrotus dimidiam veſperi & reliquam mane, repetatque quotidie donec convaleſcat.

Qui Cachexia laborant inveterata & qui ſunt quaſi eviſcerati, iis non conducunt

Ca-

Cathartica nec Diaphoretica, aut alia ulla remediorum genera aquis exhauriendis accommodata, ſed ſolis corroborantibus utendum.

Semper recordandum eſt, quum ſanguinis corroborationi navatur opera, quod tota res in eo ſolum cardine vertatur, & æger nullo modo expurgandus ſit.

Nihil majus dat Hydropicis levamen quam larga urinarum profuſio, idque cum minimâ virium dejectione.—Sales omnes ſunt diuretici, verum *Nitrum* omnibus præferendum.—Cineres Geniſtæ, & Infuſio Milleped. ſunt optima remedia.

Ova formicarum in lacte ebutyrato cocta copioſè urinam movent ſecundùm MAYERNIUM.—℞ Ovorum formicarum Cochl. unum; coque in lacte ebutyrato; exprime & edulcora pauco ſaccharo, detur mane ſuperambulando hor. 4. ante prandium per octiduum.

A catharticis præſertim fortioribus fere ſemper exacerbatur hic morbus, ſaltem non allevatur. Enemata crebro injecta eximii ſunt uſus, & hoc præ cæteris. ℞ Urin. ſani ℔j. Sal. Prunel. ʒj. Terebinth. Venet. cum Vitell. Ov. ſolut. ℥jſs. fiat Enema.—Applicetur Emplaſtr. de Sapon. toti Abdomini. Ad ſitim intolerabilem in hoc morbo, ℞ Conſerv. Jujul. per ſetac. trajecti ℥iij. pulp. Tamarind. ℥ij. Sal. Prunel. ʒj. Syr. & Succ.

 Jujul.

Jujul. q. ſ. fiat eclegma molle de quo ſæpius lambat æger. — Sequens eſt remedium empiricum valde decantatum. ℞ Suc. fol. Porri & Sambuc. $\overline{aa}$ p. æ. analytice miſceantur: capiat æger cochl. iij. vel iv. bis vel ter de die; hoc valet aliquando in extremis poſt alia omnia incaſſum tentata.

De Hæmorrhoïdibus.

QUod in Hæmorrhoïdibus maxime formidatur, eſt earum tum omnimoda ſuppreſſio, tum immoderata ſanguinis fluxio: utramque autem immoderationem tanquam periculoſam habuit *divinus Senex*; fluxum quidem, veluti aut protinus interimentem, vel aquam inter cutem & cachexiam excitantem, ſuppreſſionem verò, tanquam omnem morborum turbam ſuſcitare aptam, ſcilicet Febres, Melancholiam, Lienis Scirrhum, Pleuritidem, Peripneumoniam, Maniam, & alia id genus tum ſymptomata, tum morbos, qui reſpondeant vitioſis humoribus.

Hæmorrhoïdes frequentius alvo adſtricta laborantibus accidunt, quoniam alvi excrementa dura & compacta, comprimentia venas ſe in venam portarum exonerantes, faciunt ut venæ circa anum ſe eva-

evacuare non potentes, & minus ſuſtentatæ, tumeant. Omne album, quod in Hæmorrhoïdibus ex ano evacuatur pus eſſe multi exiſtimarunt, ex ſimilitudine coloris & conſiſtentiæ, unde ſuſpicati fuere latitare ulcus vel fiſtulam: ſed ſæpe exprimitur mucus naturalis copioſior ex inteſtino craſſo, quod ſedulo eſt ergo diſtinguendum. Melius eſt in curatione unam ſervare apertam, quàm omnes conſolidare Hæmorrhoïdes, & inſtituere ſuccenturiatam venæ ſectionem, quoniam ſanguis Hæmorrhoïdum frequentiſſime fluit ex ramis Venæ Portarum: ſi hoc fluxu homo liberatur ab aliquo morbo, eo ſuppreſſo, in morbum ex materia melancholica ſuppreſſa incidit, quæ evacuari nequit per venæ ſectionem, qua ex ſola vena cava evacuatur ſanguis, in quo ſanguine non hæret vitium.

Differt ſanguis Hæmorrhoïdalis ab eo, quem vel Meſenterium, vel Jecur, vel loci ſuperiores fundunt. A Meſenterio enim non multus fertur, ab jecinore infirmo verus ſanguis non defluit, ſed dilutus atque aquæ, qua carnem quis laverit animantis nuperrimè mactatæ, ſimilis; a ruptis aut patefactis ſuperiorum locorum venis ſanguis manat picis ſpecie retorridus, ac niger: ille vero primùm melancholicus, dein purus ac rutilus exit, interdum, quia in vacuo Inteſtini Recti concrevit, formam Grumi rubentis habet.

Diſtinguuntur Hæmorrhoïdes tum apertæ tum cæcæ ab aliis tumoribus in eo quod ſi apertæ ſunt, ſanguinem manifeſtè, ac ſæpenumerò profundunt, quod in tumoribus non accidit; ſi verò illæ fuerint cæcæ, majori ex parte apparent nigriores, cum altera ex parte cæteri tumores ſint albidiores, atque vel criſtas, vel granula, ficus videantur repræſentare.

Notum eſt duplices eſſe Hæmorrhoïdas, Portæ, & Cavæ, & a Portæ Hæmorrhoïdibus atrum & craſſum ſanguinem, a Cavæ verò rubicundiorem & tenuiorem fluere; inſuper Portæ Hæmorrhoïdas retro magis diſpergi, Cavæ verò ad latera utrobique eſſe; tertiò Portæ ad inteſtinum ferri, Cavæ autem ad muſculos; quartò Portæ interiores magis eſſe, at Cavæ exteriores; ultimò Portæ Hæmorrhoïdas melancholicis ſuccurrere affectibus, & lieni indurato, Cavæ verò febribus, renibus, peripneumoniæ, & aliis.—Expedit ergo in hirudinibus applicandis diſtinctionem in loco talem deſumere, ut ſi ſanguinem craſſum evacuare velimus, ut lieni obdurato ſuccurramus, retro verſus Spinam, & interius ad Inteſtinum hirudines applicentur.—Quod ſi a Vena Cava ſanguinem educere conſilium ſit, ut febri, aut pleuritidi, aut renibus opem feramus, ad latera, & exterius magis applicandæ hirudines ſunt, quæ ab Hæmorrhoïdibus Cavæ ſanguinem eliciant.

Speci-

Specificum in hoc affectu eſt Chalybs. Aquæ Spadenſes & Minerales Acidulæ multùm valent. Vernix quâ utuntur Pictores, eſt remedium ſingulare in curandis Hæmorrhoïdibus tam Apertis quam Cæcis. Si Apertæ fuerint & nimis tenaciter vernix cuti adhæreat, adolatur Ol. Roſar. Hujus uſu ſanatus eſt *Carolus V.* a muliere, cum nulla ope curari poſſit. Vernix autem præparatur ex Ol. Lini ℥xij. Tereb. Venet. ℥iv. Gum. Junip. ℥iij. liquentur ſimul lento igne, &c.

Vires Scrophulariæ vel radicis vel foliorum ejus, ſive ipſa Plantæ ſubſtantia ſicca vel viridis, ſive decoctum ejus, multùm laudantur a SENNERTO.

Cepe vel Porrum ſub cineribus coctum cum Ol. Roſar. & pauco Croco valde laudatur a SOLENANDRO. (Et pro certo porrum cum butyro in ſartagine frixum dolorem quaſi ad miraculum ſedat.) Sequens linimentum eſt admodum proficuum, viz. ℞ Balſam. Sulph. Terebinth. Unguent. Nicotian. āā p. æ. fiat linimentum.—Sequens eſt BOYLEI, ℞ Sacchar. Saturn. ʒſs. acet. optim. ℥iv. Ol. Sambuc. q. ſ. pro linimento. Ad dolorem & ardorem compeſcendum & fluxum immodicum ſiſtendum, inſtar arcani (inquit DOLÆUS) Medicis junioribus commendo vile ſed proficuum hoc remedium, ℞

Alcool. lapid. ſciſſil. q. ſ. cum Butyri non ſaliti ſ. q. ut fiat unguentum.

Ut autem Hæmorrhoïdes convenienter fluentes, omnia ferè arcent mala Thoracis & Cerebri, atque adeo Corporis univerſi: ſic illæ inconſideratè ſuppreſſæ, planè graviora inferunt mala, quàm quæ arcere ſolebant.—Nihil enim naturæ moleſtius, nihil peſtiferum magis, quàm ſolitæ excretionis repentina ſuppreſſio.

De Hypochondriacâ & Hyſtericâ Affectione.

HYſtericæ mulieres videntur fieri quod & nervi, & arteriæ, & cæci occultique meatus obrideantur & feriantur: & plus minuſve laborant pro copia aut qualitate elati vaporis, & multitudine vaſorum partium occupatorum. Deliquia animi, vertigines, oppreſſiones, dolores pectoris pleuritim mentientes, milleque alia tædia, & Hypochondriaca ſunt, & male euntibus menſibus apparere poſſunt.

Notandum eſt omnia Hypochondriacorum ſymptomata poſſe attribui ventriculo & colo ſiniſtro, præter enormem illam pulſationem, quæ aliquando obſervata eſt, quæque potiſſimum deducenda eſt ab Arteriæ Splenicæ oppilatione.

Mul-

Multa Hypochondriacorum & Hyſtericarum ſymptomata ſunt *Convulſiva*; illud præſertim tam viris quam fœminis commune ſymptoma, Globi videlicet quaſi Uteri aſcendentis in ſuperius abdomen pectuſque, rectè ad fauces, haſque, ſuffocationis metu occupantis, quod Laryngis muſculi eodem intumeſcentes, aëri introitum minus liberum concedant.

Huic malo maxime ſunt obnoxiæ quibus aut *incertis periodis* redeunt, aut *guttatim* fluunt menſes. Pariter a *Plethora* deduci poſſunt cætera *paſſionis Hyſtericæ* ſymptomata: quæ non modò a *ſuppreſſis menſibus* ſequi ſolent, ſed etiam a *Fontanellis* & *Ulceribus* occluſis ſæpe excitantur. —Eadem quoque in *Viris*, quibus periodica aliqua evacuatio reſtricta eſt ſolent oriri ſymptomata; ita ut ſi ſuppreſſio diuturnior ſit, evadant planè *Hyſterici*.

Mulieres Hyſtericæ ſenſum quendam frigoris in vertice capitis pati ſolent, eſtque hoc præcipuum Hyſtericæ diagnoſticon.

Colica Hyſterica bilioſam nonnunquam mentitur, comitem habet dolorem circa cordis ſcorbiculum, regionem ventriculi & paulo inferiorem: ſequuntur humorum viridi aut flavi coloris per vomitum ejectiones, & animi dejectiones maximæ, poſt diem unum vel alterum faceſſit dolor, a leviſſima verò animi commotione revocatur.

In Colica Hyſterica ſenſus Globi in Abdomine moti, quem Mulierculæ & Medici ignorantes pro Uteri habent motu, eſt plexus centralis Meſenterii maxime convulſus, in Viris quandoque accidens.

Urina in Colica Hyſterica tenuis & aquoſa. Si reſpiratio fit difficilis & præcordia perturbantur, morbus eſt Hyſtericus.

In Affectione Hyſterica laudatur Bezoardicum Joviale ut præſtantiſſimum & infallibile remedium.

In Hyſtericis curandis fugiantur nimis dulcia & fragrantia, quæ utrobique nocent, & paroxysmum tam inferre quam exacerbare valent. Vitanda quoque purgantia violentiora Uterum & Genus Nervoſum irritantia, ſufficiunt laxantia.

Venæ Sectio & Catharſis, immo leniſſima Enemata nocent, ideoque præmiſſis aliquot hauſtibus liquoris poſſetici, iiſque per vomitum rejectis, ſtatim ad Laudanum confugiendum eſt, & in uſu ejus perſiſtendum. Aliquando tamen in fœminis ſanguineis humorumque copia oppreſſis, vel Phlebotomia, vel Catharſi, vel utraque Anodyno via aperienda eſt: In Icterum internum tranſit, qui plerumque ſponte ſua ſenſim faceſſit, ſin longas moras nectat remediis Ictericis utendum eſt.

Obſervandum ſolummodo occurrit quod e Catharticis Rhabarbaro ſolo utendum.

Ra-

Radix Valerianæ ſylveſtris eſt egregium remedium.

Omnes Hypochondriaci ſpecie cruditatis laborant: unde non mirum ſi graviter conflictentur, & ſi facile in palmum cordis incidant.

Pectoris omnino maximus cum Hæmorrhoïdali Arteria conſenſus eſt; unde accidit ut qui Hypochondriacæ Affectioni & Scorbuto ſunt obnoxii ſæpe de acerbiſſimis pectoris doloribus, iis tamen non diuturnis, ut & pectoris conſtrictione conquerantur.

De Ictero.

OPinari ducor Icteri cauſam in eo potiſſimum conſiſtere, quod bilis in Hepate ſecreta, ob vias obſtructas non omnino, aut non ſatis ad Veſicam felleam transferatur, quin neceſſe habeat in maſſam ſanguineam regurgitare, interea tamen haud imus inficias affectum hunc (etſi rarius) a Meatu Cyſtico, aut Ductu communi obſtructis interdum exoriri poſſe.

Si oriatur ex jecinore color cutis ſubflavus, ſtercus autem album eſt, argillæque ſimile, neque Bilis colore tinctum, quoniam humoris iſtius affluxu caret—

Quod ſi a Liene, color eſt ex atro viridique permixtus, ſtercora magis nigreſcunt.

Si diuturnus ſit, durities Jecinoris peſſima eſt, quia ſaltem evidens futuræ Hydropis imminet periculum; ſin autem recens ambiguum eſt, quia fluxu Alvi aut Urinæ, aut Sanguinis e naribus omne periculum evitari poteſt.

Eſt etiam durities Jecinoris in Ictericis pernicioſa non modo ut cauſa, verum etiam ut ſignum.—Eſt enim ut ſignum, quia ſignificat vel ibi eſſe Inflammationem ſi ſit cum febre, vel eſſe Scirrhum.

Durities ex Inflammatione dignoſcitur, quod ſemper habet febrem acutam junctam, tuſſim, urinas maxime flavas; Scirrhus vero hiſce omnibus caret.

Cutis in albiſſimis oculorum partibus pellucida eſt, & in fronte juxta tempora: in iiſque qui naturâ albidi ſunt, ex levi *Ictero* magnus effloreſcit color.

Amarorum guſtus non eſt amarus, quæ res profectò mira eſt, neque dulcis tamen; dulcium vero amarus.

Si abſque viſceris cujuſvis inflammatione oriatur, plerumque ſine noxa eſt, ſed diu inhæret; at ſi vetus etiam eſſe cœperit, & præterea viſcus aliquod inflammetur, in Hydropem & Cachexiam definit.

Pernicioſiſſimum eſt durum fieri jecur, aut ex hoc prius duro natam originem fuiſſe.

füiſſe. Ea enim res extra omnem opem humanæ medelæ eſt.

Tempeſtive eam fieri HIPPOCRATES ſcripſit, die ſeptimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto, modo tamen mollia præcordia ſint; ante ſeptimum febris diem ſi oritur, periculum oſtendit. Icterus pleriſque infantibus mox a partu ſolet ſupervenire, immo nonnunquam illo infecti naſcuntur, adeoque ipſius cauſam quandoque ante nativitatem in ſe continent.

Omnia remedia Icterum curantia infantibus non ita tutò exhibentur quàm adultioribus. Icteri febribus ſupervenientes ſemper monſtri quid alunt, & raro illæ ſunt ſine malignitate.

Curando Icterum cave, ne medicamenta volatilia ſive diutius juſto, ſive in majori doſi propinando, ſanguinemque a bile acriori jamdudum nimis fluidum attenuando ægrum in Hæmorrhagias periculoſas præcipites.

Non opus eſt venæ ſectione in Ictero aut Scirrho hepatis, niſi adſit metus inflammationis, aut hæmorrhagia aliqua conſueta fuerit ſuppreſſa.

Vomitus valde ſunt utiles, quorum ope Hepar & meatus fellei, ventriculi & abdominis compreſſione, cogantur excernere materiam obſtruentem.

Rhabarbarum, Sapo Caſtilienſis, & Mil-

Millepedes maxime valent in Ictero æque ac Hydrope.

Si Icteritia fiat ante ſigna Coctionis, mala; ſin autem illa fiat poſt ſigna coctionis, bona eſt cenſenda.

Inflammationi Hepatis fere ſemper conjungitur Icterus.

Vidit oculis ſuis BOERHAAVIUS (ut celeberrimi hujus Medici verbis utar) & manibus tractavit ægrum, qui in tota vita Ictero omni menſe redeunte laboraverat, per tres ſeptimanas æger ſe bene habebat, ſed quartâ vomitu violento vexabatur, &c. In ejus cadavere poſt mortem aperto invenit Ductum Cholidochum calculis obſtructum.

Triplex eſt Icterus, Felleus, Hepaticus, & Cricicus: Felleus, ex vitio Veſiculæ; Hepaticus, ex vitio Hepatis; Criticus, in morbis judicans, & non judicans ex vitio totius.

De Jecinoris Vitiis.

HEpar luit peccata reliquorum Viſcerum Abdominalium.

Frequens ſingultus & præter conſuetudinem continuus, jecur inflammatum eſſe ſignificat.

Si diſtentio recens ſit ſine borborygmo, ma-

malum eſt; nam ſignificat Hepatis aut Lienis recens natam inflammationem, præſertim ſi dolor percipiatur, & torminibus nonnullis ſine borborygmo æger conflictetur. Tres conditiones adeſſe neceſſarium eſt ut ſingultus jecur inflammatum ſignificet; viz. *ut ſit frequens*, *ut ſit continuus*, & *ut ſit præter conſuetudinem.*

Singultus malus eſt, ut ſignum; quoniam ſignificat maximam & pravam eſſe jecinoris inflammationem, quæ ſuapte natura exitialis eſt, veluti aliæ viſcerum inflammationes: eſt etiam malus, ut cauſa; quoniam vires omnes & Ventriculi præcipuè, magis atque magis deterit.

Durities & renitentia in dextro Hypochondrio, gravitas & ponderis ſenſus in eadem parte, præcipue quando magna fit reſpiratio, ſcirrhi Hepatis ſunt diagnoſtica: diſtinguitur ab inflammatione, quia febris & dolores adſunt. Difficilius decumbitur in latus ſiniſtrum, quoniam hepar durum & grave ventriculum comprimit, eique dolorem infert.

Omnes valde duri ſcirrhi ſunt diuturniores & curatu difficiliores, quia reſolvi nequeunt niſi fluxilis primùm reddatur concretus humor, quod difficulter obtineri poteſt.

Omnis vetus ſcirrhus, etiamſi ejus materia in fluorem poſſet redigi, periculo non caret; nam diuturnitate temporis ſummam acrimoniam acquiſivit.

Ni-

Nihil æque ſignificare Jecinoris vitia atque color hominis poteſt, adeo ut ex eo quidam ſolo non exploratis tactu viſceribus morbum deprehendant.

Hepar ab Hæmorrhoïdibus ſuppreſſis obſtruitur, quoniam ſanguis lentus & tenax Venæ portarum, qui ſolebat per venas Hæmorrhoïdales evacuari, ſi retinetur, ad anguſtias Arteriæ portarum Hepatis delatus, Hepar facile obſtruit.

Facile jecinoroſa dejectio hæc, qua cruenta redduntur, a torminibus diſtingui poſſe videtur: in his enim ſanguis cum dolore, roſione, & ſtrigmentis ſenſim, brevibuſque intervallis paucus exprimitur.—Contra autem jecinore male retinente, cruenta feruntur ſine dolore, ſine ramentis, idque cumulatim, & majoribus intervallis, duorum ſcilicet & interdum trium etiam dierum.

In quavis Jecinoris inflammatione, ſi crudo etiamnum morbo & viribus infirmis alvi oritur profluvium, malum eſt. Inimica etiam corporis liquatio, præcipue ſi vel raucitas vel multa ſimul tuſſis accedunt. Mortiferum eſt ſpumantem ſanguinem exſcreari, vel ſputum ſtatim ſubputridum, vel ſincere bilioſum eſſe.

Ad Inflammationem Jecinoris a Pleuritide diſtinguendam, neceſſario obſervandum eſt in hac omnia mitiora eſſe ſymptomata quàm in illa.

De

De Iliacâ Paſſione.

HOc genus vitii omnium quæ Inteſtinis inſidiantur acutiſſimum eſt, & niſi reſolvatur intra ſeptimum diem, occidit.

Ilei characteriſtica ſunt Vomitus & Alvi adſtrictio; animadvertendum tamen quod ſi nihil per alvum dejiciatur, id contingere ubi affecta ſunt craſſiora inteſtina, quia tunc excrementis citius & validius via præcluditur quàm ſi tenuia, cum infra locum affectum ſubſideant fœces, quæ ſponte aut arte educi poſſunt: Nihil ergo per inferiora dejici in Ileo, intelligendum de excrementis quæ locum ſuperiorem, ubi ineſt anguſtia, occupant. Etſi magna ſit colicæ & volvuli cognatio, tamen non parum differunt; Colicæ enim natura præcipue in dolore conſiſtit, & ad Colicam ſatis eſt inſignis inteſtinorum dolor, etſi alia ſymptomata non adſint: Ilei vero imprimis in defectu expulſionis per interiora, & inverſo Naturæ ac facultatis expultricis in Inteſtinis motu: Licet etiam vomitus in Colica accidat, tamen non ita violentus eſt in Colica ut in Ileo, neque omnia alimenta, multò minus excrementa, per os rejiciuntur, id quod in Ileo

Ileo accidit, in quo etiam Clyſteres & Glandes Ano immiſſi ſuperiora verſus trahuntur & per os rejiciuntur.

An in Tenuibus, an verò in Craſſis Inteſtinis Cauſa Ilei conſiſtat, alii aliter ſentiunt; verior eſt ſententia plerumque in Tenuibus conſiſtere, quæ ob venarum copiam & ſanguinis abundantiam facilius inflammantur, & naturâ ſuâ anguſtiora ſunt: Quandoque tamen etiam Craſſis affectis hoc malum generari poteſt, cum cauſæ omnes quæ Ileum producunt etiam in Craſſis reperiri poſſint.

Propria & peculiaria Paſſioni Iliacæ ſunt, dolor acutiſſimus & ſæviſſimus, inflatio & diſtenſio vehemens, tumor in Epigaſtrio eminens & durus, omnimoda alvi ſuppreſſio, ut nihil per inferiora deſcendat: Progrediente malo vomitus accedit enormis, primùm bilis, pituitæ & chyloſæ materiæ, ac denique ſtercoris, vel potius materiæ ſtercori ſimilis, cibalis nempe, corruptæ ac fœtidæ, rariſſime enim fœces projiciuntur: Brevi morituris ſudor frigidus, copioſus, extremorum refrigeratio, cordis tremor, & animi deliquium.

Etſi Ileus alius alio periculoſior ſit, exitialem tamen ut plurimùm eſſe experientia conſtat, præſertim is cui accedit vomitus materiæ fœculentæ, & ex his nulli evadunt. Qui periculum effugiunt, his vel cauſa fuit fœcum retentio, vel

vel Enterocele, vel flatus, ſi exitum ſupra vel infra inveniat.

Mirum cur GALENUS dicat Volvulum eſſe affectum tantùm tenuium Inteſtinorum, cum obſervatum ſit rectum Inteſtinum Volvuli aliquando cauſam eſſe, aut ſaltem malum in eo eſſe.

Ubi Inteſtina tenuia afflictantur vomitus crebriores & vehementiores ſunt; & potum continere non poſſunt, quoniam ab his facillime ventriculus in conſenſum traducitur: Cum autem craſſa Inteſtina magis a ventriculo diſtent, longioreque ductu aſſumpta ad locum affectum permeare & ab eo remeare debeant, hinc vomitus in his nec ſunt ita aſſidui & frequentes, nec ita vehementes, & potum aliquo modo continere poſſunt: ſi tamen ea portio coli quæ ventriculo immediate ſubjacet, affecta fuerit, protinus in conſenſum abripietur ventriculus, hinc Colico dolori tam frequentur aſſidet vomitus, fundo illius compreſſo a tumido Colo.

Iliacâ Paſſione laborantes alii celerius, alii tardius moriuntur; quibus ab Inflammatione malum ortum, intra quatuor dies moriuntur.

Quidam ſunt in ea opinione ut exiſtiment nullum volvulum, in quo frequentes ſunt vomitiones, ſanabilem eſſe, ſed errant; nam primo quoque tempore vitiatur motus Inteſtinorum Periſtalticus,

quo vitiato vomitus & ſubverſiones Stomachi contingunt, & bis vidit BALLONIUS mulierem Neocomi quinquagenariam, quæ Ileo evaſit, quanquam merum ſtercus ore excluderet.

Cum quis Iliacâ Paſſione torquetur prolapſi Ilei Inteſtini ſuſpicio oriri debet, quod in mulieribus & viris æque contingit: At in mulieribus circumſpectione magnâ opus eſt; id enim quod foras in illis eminet, adeo ſæpe eſt exiguum ut aliquando negligatur. Hinc in illis quàm in viris Eterocele periculoſior eſt, & ab ea ſæpe intereunt quanquam tumor ſæpe avellanæ magnitudinem non ſuperet: at in viris ſæpe capitis magnitudinem refert, & non ita periculoſe laborant.

Eſt Ilei ſymptoma proprium & inſeparabile ὖδὲν κάτω διέρχεσθαι, nihil infra tranſire. Eſt Ileus utriuſque Inteſtini ſurſum revolutio, qua nec Alvus, nec Spiritus infrà tranſmittitur, ſed contrà Cibus & Stercus, cum inveteraverit, per Os redditur.

In Paſſione Iliacâ fugiantur omnia Purgantia etiam leniora, per Os exhibita; cum motum Inteſtinorum inverſum augere poſſint.

Fugiantur quoque Opiata ſi ſuſpicio Inflammationis adſit, aliàs Gangræna & Sphacelus Inteſtinorum pertimeſcenda ſunt.

Iliacæ Paſſioni ſi ſpontanea Alvi fluxus ſu-

ſuperveniat, aut acuta febris, brevi morietur æger.

Iliacæ Paſſioni quò fortiora adhibueris remedia, ſive purgantia, ſive Clyſteres magis irritantes, eò magis obſtructus Alvus, ob acutam ab illis fibrarum Inteſtinalium Criſpaturam & Contractionem; conferunt magis Anodyna, Emollientia, & Diſſolventia.

Facilis eſt Ilei tranſitus in Stranguriam; & vice versâ.

Si Ileo ſupervenerint Urinæ Suppreſſio, Stranguria, Singultus, Ventris Inflatio, aut Convulſiones, malum portendit.

Iliaco peſſime habenti ſi flatus multi & fœtidi pedendo erumpant, mors oſtia pulſat.

Omnis Ileus periculoſus: rariſſime convaleſcunt, qui ſtercus per Os ejiciunt.

Si Gangræna jam aderit, cognoſcitur ex eo quod dolor ſtatim ceſſet.

PARÆUS ſe multos ab Ileo deſperatos imminente morte liberaſſe refert, hauſtis ſcilicet Argenti Vivi in aqua ſola libris tribus.— Tanta verò Mercurii quantitas valde pertimeſcenda eſt, in caſu igitur deſperato ſatius eſt minorem quantitatem exhibere.

Minus periculi eſſe ſolet, ubi dolor locum mutat, quàm ubi fixus is una in ſede hæreſcit.

De Iſchiade.

Sæpius occultus victa Coxendice morbus
Perfurit, & greſſus diro languore moratur.

DOlor Iſchiadicus aliunde quàm ex Capi-te arceſſendus, vitiumque potius maſ-ſæ ſanguineæ inquinatæ arguit.

Per id os (Coxam ſcilicet) & Urinæ & fœcum viæ decurrunt, & Genitales, & illi proxime ſunt Venæ Hæmorrhoïdales, præter venas & arterias ſatis magnas quæ in Crura deferuntur: Has ob cauſas ſo-let hæc pars recipere multas variaſque fluxiones, & ab omni fluxionis genere cruciari, nunc in articulo, nunc etiam extra, juxta Os, aut ad interiorem par-tem, verſus inguen; aut ad imam, ad interfemineum, aut ad poſticam, ad na-tes: ſæpe fluxio ipſa in pus abit, quod niſi tempeſtive educatur, ſponte extra erumpens, fiſtulas eo loci facit, aut in-terius manens acerbius cruciat.

Raró tumor ineſt conſpicuus, rarius ca-lor aut rubor, quod malum intimas arti-culi partes occupet. Generant hanc af-fectionem multæ cruditates, Venus imm-dica, deambulationes concitatiores, hæ-morrhoïdes ſuppreſſæ, vomendi conſue-tudo intermiſſa, & purgationes menſtruæ a-

aut aliæ familiares excretiones impeditæ, neglectæque ſolitæ exercitationes.

Si diu perſeverat dolor Iſchiadicus Coxæ Laxationem infert, ex qua etiam claudicatio ſequitur, & cruris totius tabes atque atrophia: quia os e ſede ſua elapſum, muſculos, venas & arterias comprimit, unde motus impeditur, & ſanguis & ſpiritus in partes inferiores commode fluere non poſſunt.

Fit Ischiadicus dolor ſicut aliæ articulares ægritudines, ex affluxu materiæ e toto corpore, maxime verò a capite ad Coxæ articulum, qui facile ingruentes humores ſolet ſuſcipere, tum ob loci capacitatem, atque ſitum, tum maxime quia pars ea tàm ſedendo quàm ambulando valde laborat, ſuoque motu ad ſeſe materiam allicit. Cur autem hic morbus ſæpenumero ſoleat eſſe diuturnus, cauſa eſt, quoniam valde profundus eſt locus, & ſedes mali, qua fit, ut ſicut materia eò non fertur niſi magna vi, ſic etiam non inde pellatur niſi magna diligentia & labore; ſive enim interna medicamenta reſpicias, ſive externa, difficulter ad eum locum perferuntur; ex quo materia ibi detenta paulatim craſſeſcit, atque viſcilitatem acquirit, merito cujus aucta curationis difficultas morbum protrahit.

Si dolor ille ſedem habet in Coxæ acetabulo, rodens, dolorem inferens, ita interdum magnam hîc hærentem Glandu-

lam corrumpit, ut articulus moveri no: poſſit, vel etiam corrumpit Ligament articulum hunc nectentia, ut inde clau dicatio.

Dolorem Iſchiaticum, pruritum iter totius Corporis, beneficio fonticuloru feliciter ſanatum refert HILDANUS.

Obſervatum haud raró eſt, ex hoc Co xæ dolore natum Hydropem eſſe. Sanat podagra, atque Iſchias facile reverti co ſueverunt.

Venæſectiones repetitas in Baſilica præ ſertim & Saphæna feliter celebravit RHA ZES in Iſchiade. In hujus morbi mede ARCHIGENIS præcepta obſervans, E nemata ſicut ille, admodum acria imp rat ex Colycynthide & Nitro facta: qu ita vehementia erant ut ſanguinem elice rent, atque ideo a Græco illo Medic magis proficua judicabantur. Ratione hanc in hominibus ſupra mille tentatu ſe vidiſſe narrat RHAZES, neque unu cognoviſſe in quo non ſucceſſerit, n res ita inveteraſſet, ut Uſtionem poſce ret. Cum eodem Auctore in vomitio convenit, quam in obſtinatis hiſce dol ribus maximam revulſionem præſtare a firmat; appoſitèque admodum ipſe ſub cit, ante vomitum ſemper vitandam eſ purgationem. Iſchiade correptis, eâde horâ, vel paucis elapſis a primâ dolo invaſione, ſi purgans medicamentum d tur, vix abſolutâ hâc, aut ad ſummu

a

alterâ, quam propinaveris purgatione æger certò ſanabitur, non ita verò ſi morbus ad plures dies & menſes fuerit protractus.

De Incubo.

Vix unquam Incubus accidit in Latus cubantibus.

Qui hac ægritudine multo jam ſpatio temporis, ac frequenter occupantur, huic grave aliquod capitis malum, puta vertiginem, morbum tum attonitum, tum comitialem, maniam, nervorum diſtentionem, aut ſubitam mortem impendere ſciendum eſt.

Incubo laborantes, ſi forſan ab ejusdem lecti conſorte mox ſomno excitantur, e paroxyſmo citiùs evadunt.

Ab Incubo periculum minus imminet, quia materies morbifica in cerebelli ambitum ſuffuſa, haud altius penetrare ſinitur, quippe ſpiritus, qui iſtius provinciæ ſunt, ſemper in procinctu ac vigiles, hoſti celerrime occurrunt, ejuſque introitum, intermiſſis licet intervallis functionis vitalis immodicis, fortiter oppugnat; porrò ſpiritus animales, qui in cerebri ditione ſunt, experrectis protinus in cerebello laborantis ſubſidium convolant.

Rarò quiſpiam ab hoc morbo ſolitariò interit.

Vulgaris eſt obſervatio Ephialte crebro tentari ſolitos, non rarò Apoplecticos occumbere. Alter Incubi eventus minus periculoſus ſolet eſſe, quòd ſæpe in paſſionem Cardiacam, aliaſque affectiones pro Hypochondriacis vulgo habitas ducit.

Incubus eſt ſpirandi nocturna difficultas abſurda ſuperinjectæ molis opinione ſomnientem eludens.—Pueros frequenter exercet, quia voraces comedunt plus quàm digerunt; cum vehementior impreſſerit præfocatio, quoſdam interfici teſtatur AURELIANUS.

De Lumbricis.

MInus in Longis Lumbricis periculi, quàm in Latis eſt, ſolentque his etiam illi eſſe frequentiores: præcipuè verò pueros ab ipſa exercent infantia ad puberem uſque ætatem.

Obſervatum eſt dolores Capitis a Vermibus eſſe.

In tria genera dividuntur; unum, tenue & exiguum eſt: Aſcarides vocantur; alterum, teres eſt: tertium latum, ſive Tænia dicitur: hujus poſtremi generis

unum

unum ALEXANDER vidit pedum fere ſedecim longitudine.

Lumbrici, qui per vomitum ejiciuntur, raró ex inteſtinis provenire, veriſſimè mihi (HILDANO) videtur. Si qui vermes ex Inteſtinis ad Stomachum aſcendant, id in his qui maxima aliqua obſtructione pori Cholagogi laborant, fieri exiſtimat idem; affirmat etiam vermes in Veſicula Fellis repertos fuiſſe; id enim accidit in cadavere Hydrope mortuo, ita ut Veſica Fellis aquoſo potius quàm bilioſo humore repleta fuerit.

In Praxi quotidie obſervatur, pueros lactantes quibus carnes exhibentur, a Lumbricis maximè infeſtari, propterea quòd tenelli eorum ſtomachi ſolidum illud alimentum concoquere non poſſunt.

Medicus certò pronuntiare poſſit, infantem, ſi lacte ſolo veſcatur, neque carnem aut juſculum ex ea guſtaverit, Lumbricis non laborare.

Lumbrici ſunt mirabiliter inter ſe complicati, funiculos diceres potius quàm Vermes, ſi videris.

AVICENNA dicit non generari Vermes ex flava bile, ex humore melancholico, ex ſanguine, ſed ex pituita.

Rotundi magis in ſuperioribus Inteſtinis generantur; Aſcarides in poſtrema parte Inteſtini Recti, Lati verò univerſa fere Inteſtina occupant.

Quando pueri vehementer manibus con-

trectant ventrem, ſignum eſt Vermium latentium, multò magis ſi Tormina adſint.

In morbis puerorum ſemper ſuſpicandum de Vermibus.

Subito excitari a ſomno cum trepidatione, præcipue in Infantibus certiſſimum eſt apud mulierculas vermium ſignum. Hoc idem tamen contingit etiam in eruptione exanthematum.

Colica puerorum ſæpiſſime a Vermibus oritur.

Sanguinis ſtillæ naribus in Febribus Continuis nonnunquam Vermium latentium ſigna ſunt.

Anthelminticis aut conjungas aut poſtponas laxantia & purgantia, ne lumbrici in corpore putreſcentes Febres continuas cauſentur.

Caute cum Mercurio agendum, in tenerioribus enim tremorem inducere obſervatum eſt.

Acida omnia Vermes enecare notiſſimum eſt: Hinc ſuccus limonum ad hanc rem utiliſſimum & uſitatiſſimum remedium. Rhabarbarum, Semen Santonicum, & Æthiops Mineralis egregia ſunt remedia.

De

De Lienteriâ, & Cœliacâ Paſſione.

IN Lienteria cibus non immutatus, ſed prout fuerat aſſumptus per alvum celeriter excernitur.—In Cœliaca verò Paſſione cruda & imperfecte cocta rejiciuntur per alvum alimenta.

In hiſce morbis non ſolùm Inteſtina, ſed Ventriculus etiam afficitur.

Per longam Inteſtinorum lævitatem acidum fieri ructum, qui ante non fuit, pro valetudine habetur.

Ex hoc morbo ſi lateris oritur dolor, & ſpirandi difficultas, metus eſt Tabem eſſe ſecuturam.

Affectio Cœliaca ab obſtructione ſtrumoſa pendens non poteſt curari magis, quàm qui os non habet poteſt nutriri. Eſſentia hujus affectionis in eo conſiſtit, quòd cibi incocti deſcendunt, quatenus in ipſis excretis ciborum aſſumptorum veſtigia apparent, ſive modò ob caloris ventriculi exceſſum cum humiditate non concoquantur, ſive a calore immodico, aliave cauſa corrumpantur antequam naturalem permutationem ac coctionem acquirant: quoquo enim modo prædicta eveniant, ſemper Lienteria dicenda eſt.

Lienteria ex Corruptione deterior eſt eâ quæ ob caloris defectum evenit.

Puel-

Puellum quendam quatuor circiter annorum Lienteriâ & Vomitu laborantem, poſt multa, ſed pauco cum fructu adhibita medicamenta, materno lacte intra breve temporis ſpatium pleniſſimè reſtitutum fuiſſe narrat HILDANUS.

De Memoriâ Læsâ, Maniâ, &c.

INſania quæ cum riſu eſt, tutior; dato ſtudio, pejor.

Differt Melancholia a Mania in eo ſolùm, quòd Melancholicis Timor & Triſtitia ſuppleant locum Audaciæ & Iracundiæ.

Sæpe hæc duo quaſi Fumus & Flamma ſe mutuò excipiunt ceduntque; & quidem ſi in melancholia Cerebrum & Spiritus Animales fumo & denſa caligine obſuſcari dicantur, Mania iſtis quaſi apertum incendium accerſere videtur.

De Maniacis obſervare eſt hæc tria illis fere omnibus eſſe communia, viz. 1. Eorum phantaſias, ſive imaginationes cogitationum impetuoſarum æſtu perpetuo occupari, ut dies & noctes varia ſibi obmurmurent, aut clamando & ejulando proferant. 2. Notiones ſive conceptus & incongruos eſſe, aut ſub ſpecie falſa ſive erronea iis repræſentari. 3. Illorum delirio

rio audaciam & furorem ſæpiſſime adjungi, contra ac in Melancholicis qui timore ac mœſtitia ſemper affliguntur.

Hæmorrhoïdum aut Catameniorum fluxus cohibiti, aut ulcera cacoëtha ſuppreſſa, verſus hunc morbum diſponunt.

Mulieres viris violentius perfurunt.

Admirabile eſt in Maniacis univerſi corporis robur, quo fit, ut nulla vi cohiberi aliquando poſſint, aliquando validioribus vinculis illigati ea proſcindant.

Aſſerit FERNELIUS ſe Maniacos vidiſſe qui per ſolidos quatuordecim menſes nunquam dormiverint: De hac re dubitat BELLINI.

BOERHAAVIUS attamen ſe hoc etiam in Maniaco vidiſſe teſtatur.

Boni ominis ſunt evacationes quælibet dummodo copioſæ, per ſudorem, urinam, alvum, hæmorrhoides, hæmorrhagiam narium, & hujuſmodi; ſi enim copioſæ fuerint, arguent criticam univerſi ſanguinis fermentationem, quam non arguerent neceſſariò, ſi eſſent parvæ quantitatis, ſed incertam criſim non abſolvendam Natura nimis feſſa, vel factam ſolùm caſu aliquo, qui ad certam rationem revocari non poſſit.

Salutares etiam ſunt Febris Tertiana vel Quartana.

Mania, licet affectus ſit periculoſus & ſanatu moleſtiſſimus, per ſe lethalis non eſt.

Sol-

Solvitur Melancholia interdum per fluxum Hæmorrhoïdum, & per ſcabiem alioſque cutaneos affectus.

Tres circumſtantiæ ſunt maxime in Maniacis obſervandæ; *Furor inſignis*, *Robur corporis admirabile*, & *Frigoris tolerantia incredibilis*. Raro conqueruntur Maniaci de frigore, quod ſi accidit, bonum ſignum eſt. Experientia ſatis vulgari conſtat medicamenta Opiata, quibus ſomnus provocatur, crebrò exhibita memoriam lædere.

Lætitia plus juſto Melancholicis ſuperveniente, inſtat Mania.

Incurabilis omnis eſt Oblivio, quæ a parentibus proficiſcitur, vel ætatis ratione fit.

In confirmanda memoria hoc ſingulare obſervetur, quæ ante ſomnum poſt cœnam veſperi concipiuntur, vel repetuntur, matutino tempore melius impreſſa maneant.

A nimia Venere lædi poſſe memoriam, obſervat SALMUTHIUS; Vir doctus (inquit ille) ut conjugi placeret, uſus fuit ſtimulantibus Venerem, unde ſine memoria, redditus eſt fatuus.

Hiſtoriam narrat TULPIUS Oblivionis a læſo occipitio. Famulus Nicolai Lonii, iturus ſerâ veſperâ præproperè ad Tabellarium Antverpianum, per declivem burſæ fornicem, ob glaciem, id temporis ſummè lubricum, procidit ſupi-

pinus in occipitium, unde ortâ omnium rerum oblivione, non meminit deinceps nominis ſui, nedum domûs e quâ veniſſet, aut quò contenderet delaturus, quas manu etiamnum contineret literas. Quem mentis ſtuporem brevi, eatenus quidem emendavit ars, ut iterum recordaretur longe præterita, at quæ caſum hunc immediate præceſſerant, illorum memoria planè exciderat.

De Menſium Suppreſſione.

FRequentiſſimum eſt malum, & inter *Virgines* pene *epidemicum*, *Menſium imminutio*; ſi quidem nullus fere in *Puellis* reperitur morbus, qui non hanc aut comitem, aut cauſam agnoſcit.

Immunitionis varii ſunt gradus, aut enim *parcius*, aut *tardius*, aut etiam *difficilius*, aut (quod frequenter fit) non omnino fluunt Menſes: hoc genus morbi atrociſſimum eſt.

Spina Dorſi frequenter *dolet*, quoniam *Medulla Spinalis*, uti eſt ſenſu acutiſſimo prædita, ita preſſione ea, quæ ab arteriis diſtentis oritur, facile affici ſolet. Sic etiam in Variolis *Spinæ* dolor eſt Diagnoſticon, ab eadem ratione, a nimia ſci-

ſcilicet vaſorum plenitudine. Fere ſemper Menſium ſuppreſſorum comes eſt *Alvi pigrities*; tum quia, *Motu* Inteſtinorum imminuto, minus detruſæ ſint fœces, tum quia præ *ſiccitate* per ſe tardius exire queant. Mulieres quibus ſuppreſſi ſunt Menſes, fere ſemper de *Ventriculo* læſo conqueruntur.

Sanguinem per os & per nares ad aliquot dies copioſe exputum atque emunctum, ac ita ſarcina Menſtruali per ea loca liberari quandam mulierem, Menſibus ſuppreſſis, narrat HILDANUS.

Fieri poteſt ut non prodeuntibus Menſibus per uterum nihil tamen detrimenti mulieres patiantur, ſi ſanguis redundans per alias vias, os, nares, &c. moliatur: unde licet via iſta non ſit naturalis, non coacervatur tamen nec corrumpitur ſanguis, nec proinde mala ſymptomata ſequuntur. Mulieres Gonorrhœa laborantes, vel menſtruantes, circulum lividum ſive plumbeum ſub oculis habent, quod inter Diagnoſtica morborum muliebrium reponendum.

Menſes ſtimulandi ſunt ſtato fluxionis tempore, ſi cognoſci poſſit; ſi non, interrogandæ ſunt, an non ſingularem interdum in corpore percipiant ſanguinis motionem & agitationem, & inſolitos lumborum dolores & pulſationes in locis vicinis, aut febriles efferveſcentias, &c.

tunc

tunc enim temporis propinanda ſunt ſtimulantia.

In Menſium ſuppreſſione quò diutius Menſes ſubſiſtunt. eò magis ſymptomata augentur. Non ſemper eſt in ſuppreſſis Menſibus medicinæ locus, cum omnis ſuppreſſio non ſit morboſa. In gravidis & lactantibus citra ſanitatis noxam deficiunt; aliquando etiam in Obeſis & Athleticis, in his enim per Poros egeritur, in iis in Pinguedinem migrat humidi redundantia.

Suppreſſis Menſibus, fomenta purgationi eſſe præmittenda monet HIPPOCRATES. Laudat Venæ ſectionem FREINDIUS, præmiſſis Purgantibus & Emmenagogis; in his enim cum ea ſit operandi ratio, ut humores viſcidos diſſocient & attenuent, ſanguis jam ante comminutus, laxiuſque cohæreſcens, copiâ detractâ facilius dimovetur, & fortius momentum concipit.

Duplici de cauſa ad Menſes ciendos prodeſt Purgatio, tum quia velocitatis impetum intendit, tum quia ſanguinis compagem ita attenuat, ut Uterina vaſa latius diſtendat.

Nihil autem lentorem efficacius tollit aut vaſa obſtructa citius recludit, quàm Mercurius; igiturque ſi catharticis remediis adjecta aliqua Mercurii præparatio, fortius adhuc excitabitur ſanguinis impetus.

De Menſium Fluxu Immodico.

MUltò gravius eſt, a Menſibus ultra modum fluentibus, quàm retentis periculum. Sanguinis enim defectus difficilius reſarcitur, quàm detrahitur copia.

In Virginibus, propter vaſa conſtrictiora non ita facilis ſanguini patet exitus ac in puerperium expertis.

Duplici modo provocatur Fluxus Immodicus, nempe vel Vaſorum, vel Sanguinis vitio. Animadvertendum eſt, ut virium regula unica metienda ſit Fluxûs redundantia.—Critica eruptio, quamvis diuturnior ſit, nunquam ſubitò ſiſtenda eſt.

Fœminas, quibus ſanguis aquoſus, & habitus ſucculentus fuerit, Fluxui nimio magis obnoxias eſſe recte pronuntiat ET-MULLERUS.

Ad compeſcendum Fluxum adhibentur Aſtringentia: quæ cum coagulum & lentorem humoribus inducant, ſanguinis impetum ita imminuunt & infringunt, ut Vaſorum impedimentum nequeat pervincere.

Aſtringentibus annumeranda ſunt Glutinantia, inter quæ præcipuum locum obtinent Balſamica; quoniam verò imbecil-

lioris

lioris efficaciæ ſint, iis non niſi poſt Aſtringentia videtur eſſe in Praxi locus.

Cohibito Fluxu, ſi defecerint vires, ad ea confugiendum eſt remedia, quæ ſanguinem inſtaurant, ſpirituumque copiam ſufficiunt: & ea non ex *Officina* modò, ſed etiam ex *Culina* depromenda ſunt.

De Nephritide, & Calculo Renum.

NUlla eſt Corporis noſtri pars, in qua lapides generari nequeant: at Calculi cum dicuntur in Renibus aut Veſica generati intelliguntur, quia in his partibus frequentius generantur. Calculum definimus, quod ſit corpus ſolidum & durum, ex humore terreſtri & ſalſo, in Renibus potiſſimum & Veſica ſtupore affectis, in lapidis formam concretum, obſtructiones & diſtenſiones inferens.

Renum lapides ab iis qui in Veſica generantur, ſolo colore a Medicis diſtingui poſſe, fere ab omnibus receptum eſt: ſed hoc plerumque fallere ex diſſectione intelligimus, Renum lapides rubei vel crocei perpetuò non occurrunt, ſed non rarò albi cineritii conſpiciuntur.

Obſervatum eſt in pleriſque Nephritidi obnoxiis paroxysmo ingruente urinam limpidam & copioſam reddi.

Mictio ardens, & laborioſa, urina mucoſa, & alvus impedita ſunt ἀχωριςὰ τῆς νεφριτίδος.

Nephritis eſt Renum inflammatio; Renes verò inflammari poſſe novimus, quia eſt ſtructura vaſorum ſanguineorum.

Nephritici non de dolore dorſi, ſed laterum conqueruntur propter muſculos vicinos.

Omnis Nephritis nunquam a Calculo, ſed ſemper ab inflammatione a Calculo producta oritur.

Quando ægri vomunt, nauſeant, &c. tum bonum eſt ſignum, ſi laborent Calculo Renum.

Si dolor ſit fixus punctorius ad Renes ortus, flatus, vomitus, febris violenta, urina pauca & flammea, Ren ſcitur inflammatus, nec ſponte non abit—Per tot pericula edoctus didicit Clariſſimus BOERHAAVIUS curam ut in Pleuritide ſolùm ſufficere, hinc Diureticis non eſt tentanda.

Omnibus ſtimulantibus partes plus conſtringuntur contra Calculum, hinc malum exaſperatur—Ut partes fiant paralyticæ dandum eſt tenue oleum, ut flacceſcant, danda Clyſmata & Opiata.

Quò Urina ſub hoc morbo magis aquæ ſimilis eſt, & quò diutius ſic fertur, minuſque ſedimenti habet, eò duriores in Rene Calculos & magis confirmatos, magiſque rebelles eſſe ſciendum eſt.

Vinum,

Vinum, Venus, Otium & Crapula, ſunt primi parentes Calculorum & Podagræ. Aquæ potus, Lactis uſus, ſobrietas & exercitium eiſdem medentur; exinde prodiit ſecretum illud eximium ZECHII relatum in ſuis Conſultationibus: Nempe hauſtus aquæ calidæ ad ℔j. circiter, ſtatim ante prandium factus: PISO & ALEXANDER multis ante ZECHIUM annis hoc idem aquæ calidæ remedium comprobarunt, dicentes quod poſt primum excretum calculum, nunquam in poſterum alios genitos fuiſſe viderint, uſum hunc aquæ calidæ multo tempore continuantibus.

Dolorem Lumborum Rheumaticum a Nephritico per hoc certiſſimum ſignum diſtinguere poteris: pete ab ægro an dum in terram incurvatur & exinde erigitur, cum difficultate erigatur, adeo ut per medium ſcindi videatur; ſi hæc adſint *pro certo habeto dolorem illum non eſſe Nephriticum, ſed Rheumaticum*; productum ſcilicet ab acribus & muriaticis ſalibus per ſeroſum humorem illinc depoſitis. A quinque cauſis potiſſimum fiunt Renum dolores, fluxione ſcilicet, ulcere, inflammatione, lapide, & abſceſſu.

In Nephritide ſenſus ſubitaneus rei pungentis, velut aculei in regione Ureteris, ſignum eſt certiſſimum calculi hac parte jam impulſi.

Facto ſemicupio & præſertim poſtquam

dolor quieverit, ſi eadem vehementia die ſequenti ſerius aut citius revertatur cum vomitu, dolorem eſſe Nephriticum pro certo habeto.

In ipſo paroxysmo doloris Nephritici Lithontriptica & AperientiaMedicamina obſunt potius quàm proſunt: conferunt contra, Emollientia, Laxantia, & Anodyna, quæ doloroſam renum partium adjacentium criſpaturam relaxant & demulcent, ut ita Calculus ingredi poſſit Ureteres.

Dolor fixus in regione Renis, & continua ad Vomitum inclinatio, ſunt præcipua ſigna Doloris Renalis a Calculo: cætera ſunt dubia, & aliis doloribus ventris communia.

Sunt qui Calculum habent in Renibus, nec ullum iiſdem dolorem parit, quod in duobus obſervavit Baglivius, *Bononiæ* & *Patavii*, quorum cadaveribus diſſectis, ingentes Calculos in Renibus vidit, nec ullis ante vexati fuerunt Renum doloribus. Idem notat Hollerius in Praxi, Capite de Hydrope, dicens, in Diſſecto Cadavere obſervavi Renem ſiniſtrum abſumptum, & vomica plenum, dexterum autem Calculo obſeſſum, & tamen æger non dolebat de Calculo. In paroxyſmo Nephritidis fugiantur Lithontriptica, malum (ſpaſmo nondum remittente viiſque non præparatis) exaſperantia. Ut ritè Renum inflammatio diſtinguatur a Calculo, obſervandum quod

hîc

hic ſemper adeſt Febris continua, in Calculo non ita; dolor etiam eſt magis continuus & pulſatilis, in Calculo interpolatus & periodicus, Iſchuria in hac, rarò in Calculo.

In Rene dolor *Gravativus* indicat carni inſidere Calculum, & interdum etiam abſceſſum: *Punctorius* autem deſignat Calculum ejus pelvim lancinare.

De Ophthalmiâ, & Oculorum Malis.

EST non ſolùm Tunicæ adnatæ Morbus Ophthalmia, ex Inflammatione vel Eryſipelate rubedinem contrahens, ſed Scleroticæ, Choroïdeæ, & Uvæ. Si levis ſit, Taraxis dicitur. Lachrymas non fundens, ſed Siccitatem Oculorum inducens, Xerophthalmia ſeu Lippitudo arida vocatur. Si corneam ſimul obtegit, tunc appellatur Chemoſis.

Principium morbi eſſe oſtenditur, quamdiu tenuis ex oculo pituita fertur: ubi ea craſſeſcit, albaque fit, incrementum eſſe: ubi tota craſſa, multaque eſt reddita, perque ſomnum oculos veluti glutine oblinit, veniſſe jam ſtatum ſignificat: declinatio eſt, ubi & pituita, & ſigna morbo propria minuuntur. Lippitudine affectum alvi corripi profluvio, bonum.

Si lippientibus caput aſſidue, longoque tempore dolet, futuræ cæcitatis metum denuntiat.

Si nullis Ophthalmiæ ſignis apparentibus, muſcæ aut araneæ & ſimilia oculis obverſari videntur, ſignum eſt Pathognomonicum Guttæ Serenæ naſcentis. Si Oculus ſuffuſione affectus Soli obverſus nullam poſſit lucem percipere, fruſtra eſt omnino Operationis periculum facere; eſt enim Cataracta cum Amauroſi conjuncta, quod malum eſt incurabile.

Ophthalmia Interna eſt Inflammatio Retinæ quæ diſtinguitur ab Externa; præter externæ ſigna, videntur Ophthalmico oculis ſuis obverſari muſcæ in aëre volitantes, pulviſque quilibet obſcurus vagare, aliarumque rerum incerta ſimulacra. Ubi perfricatur, diducitur, iterumque rediens jungitur ſuffuſio, coloremque exhibet obſcure album, tutò curatur. Quod verò nigrum, vel lividum, vel vehementer flavum eſt, id neque Medicinâ curari, neque Acu poteſt.

Morbi Oculorum difficiliores ſunt curatu, quia ſunt in actione perpetua, quia lumini objiciuntur, quod lumen Oculo ſano amicum, ægro inimicum eſt.—Oculos aſſidua cogitatio occæcat.

Cavendum ſæpe ne nimium ſiccemus Oculos, & ſqualorem inducamus: Senibus enim frequens hebetudo accedit ob ſqualorem & ſiccitatem Oculorum.

Ca-

Cataracta imperfecta & immatura, i. e. incipiens acu non eſt tentanda, quâ majores turbas in Oculo ciere ſolent imperiti.

In om̃i Ophthalmia externa vel interna, & præſertim in omni interna & inveterata, purgandnm eſt.

Vix dici poteſt quantum in hoc affectu auxilii adferant Veſicatoria & Setacea; quare ea pertinaciter ſunt urgenda.

Cavendum ne in Affectibus Oculorum nimis acria Collyria adhibeantur, ne Tunicis irritatis malum augeatur—Non patitur Jocum *Fama*, *Fides*, *Oculus*. Fugiantur quoque eandem ob cauſam, nimis frigida aut nimis calida. Ab omnibus verò abſtinendum, ſi vel minima Cancri ſuſpicio latet, qui nonniſi Oculi extirpatione ſanatur.

Curatio Guttæ Serenæ Medicamentis Mercurialibus, imo Salivatione & Decocto Guaiaci.

Oculus poſt Cataractæ Operationem non eſt exponendus, quoniam modò ſimul non turbentur oculi humores, ingredientes Radii nunc tangentes Retinam doloroſum viſum faciunt & oculum irritant.

De Paralyſi.

PAralyſis eſt partium nervoſarum a debita tenſitate reſolutio, ſive relaxatio, cujus ratione motus & ſenſus, nempe aut alter tantùm, aut ſimul uterque; in toto corpore, vel in quibuſdam partibus, debito more exerceri nequit.

Gravis eſt Paralyſeos ſpecies in qua facultas etiam ſenſitiva afficitur cum motiva.

Paralyſis hominibus, non ſecus ac Syriaſis, ſive Uredo, arboribus accidit.

Univerſalis Paralyſis eſt Apoplexia, & oritur ab omni cauſa generante Appoplexiam.

Si quis ſcire poſſit, in quo nervo, & in quo loco, vel in quâ arteriâ cauſa mali hæret, tum facilis eſſet ſanatio, ſed hoc non facile ſcitur. Credibile eſt papillas cutaneas eſſe Tactûs organum, ideoque hîc ratio reddi poteſt, cum ſuperſtite motu ſenſus poteſt aboleri, viz. quia motus per nervos fit, ſenſus per papillas haſce. Ab Apoplexia non differt Paralyſis, niſi partium affectarum multitudine. Nam in Apoplexia omnes univerſi corporis partes afficiuntur, in Paralyſi non omnes: ſed vel omnes ſub capite, in Pa-

raplegia, vel omnes in alterutro latere in Hemiplegia, vel quædam ubicunque in Paralyſi particulari.

Eſt chronicus & longus affectus Paralyſis omnis. Gravior eſt, quæ ſpinalem medullam, aut nervos agnoſcit pro parte affecta, quàm quæ muſculorum fibras vel tendines; prior enim ſpecies incurabilis eſt.

In membris Paralyticis cave a nimis pinguibus, quæ fibras magis flaccidas reddunt, niſi admiſceantur Olea deſtillata.

In fovendis partibus Paralyticis vide ne partes affectæ ſphacelum contrahant & eger de vita periclitetur.

Ante omnia, & quidem mox in principio, Cervicis poſteriori ſedi cauterium mponi debet, aut ſetaceum, cujus ope nateria peccans, & ſpinalem medullam itians, *breviſſime*, *citiſſime*, & *tutiſſime* b affecta parte retrahetur. Ad humores ituitoſos tàm corrigendos & emendanlos, quàm educendos conferunt Sudoriera, atque imprimis ex Ligno Guaicino, uniperino, Saſſafras, &c. quæ quotidie ſſumpta, quamvis ſudorem non moveant, orrigunt tamen humorem peccantem, oborantque partes affectas. Nihil æque Paralyticis partibus nocet, ac frigus.

Moneo (inquit De le Boe Sylvius) omnes, ne in principio negligant egros, verùm confeſtim feſtinent talis af-

affectus curam: nam hîc vere habet lo-
cum uſitatum Diſtichon:

Principiis obſta, ſerò Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Apoplexia *in Cerebro*, Paralyſis & Para-
plegia verò *a Cerebro* originem habent.

Arbitramur (ait LANCISIUS) potiſ-
ſimam cauſam facilioris ſolutionis Paraly-
ſis in cruribus eſſe directionem Vaſorum
tum Sanguinis, tum Spiritûs Animalis
proxime ad perpendiculum poſitorum:
contra verò cauſam curationis difficilioris
in Brachiis eſſe poſitionem Vaſorum tranſ-
verſalem, per quam eadem conſtituun-
tur ad rectos, vel rectis proximos angu-
los cum Arteria Magna, Vena Cava, &
Spinali Medulla. Liquida enim, quæ per
directionem, perpendiculari proximam
fluunt, expeditius moventur, & impedi-
menta, quæ ipſis objiciuntur, promptius
amovent, quàm eadem liquida, ſi flexuo-
ſo, atque angulari itinere devolvantur.
Compertum eſt Venæ ſectionem ſæpius re-
petitam malum plerumque exacerbare,
illiuſque frequentioribus acceſſionibus viam
ſternere: in ejus verò locum ſcarificatio-
nes ſex vel octo cucurbitulis adminiſtran-
das commendarem.

De Phrenitide.

ΦΡένιτις dicitur quaſi τῶν φρένων νόσος· Videtur enim uſu apud Medicos veteres obtinuiſſe, ut partis affectæ nomini adderent terminationem *itis*, quando inflammatorium imprimis ejuſdem partis morbum deſignare volebant, uti patet in Hepatitide, Nephritide, &c.

Nihil magis periculoſum, quàm ſi Solis radiis expoſito capite quis dormiat.—Memini (inquit VAN SWIETEN) binos Meſſores, ſaniſſimos certe & robuſtiſſimos, intra bihorium ſic periiſſe, dum fœni acervo incumbentes, nudo capite meridiano Soli expoſito obdormiviſſent.

Durum & nervoſum Phreniticorum Pulſum eſſe, monuit GALENUS, quandoque etiam tremulum, undoſum & inæqualem.

Phrenitis non poteſt eſſe ſine inflammatione membranarum Cerebri; inflammatio autem membranarum cerebri poteſt eſſe ſine delirio. Lachrymæ ex altero tantùm oculo, vel ex utroque, acres, paucæ, denſæ, eorum angulis adhærentes, peſſimi ſunt ominis, tum quia minimum liquidi arguent, tum quia argumento eſſe poterunt, ipſas non per ſecretionem

nem naturalem effluere, ſed potius villis eroſis, aut laſſatis, adeoque corpore jam ad diſſolutionem tendente.

Omnes homines, qui diſpoſiti ſunt ut facile incidant in Pleuritidem & Peripneumoniam, facile Phrenitici fiunt.

In omnibus morbis, ubi primus impetus Febris incipit habere ſomnum turbulentum, cogitate, quod adſit levis incipiens inflammatio; hæc ſi per dies aliquot porrexerit, dabit perfectam Phrenitidem.

Si videam (inquit BOERHAAVIUS) ægrum & rogem, Quomodo vales? & reſpondet, Quid tua refert? certi eſtote, quod tum intra unam horam erit ferox; hoc Medicum monere debet, ut tum adhibeat medicamenta contra Phrenitidem nondum natam.

Omnes morbi capitis qui ab inflammatione Inteſtinorum ut cauſa & ſigna ſunt peſſimi.

Si in principio morbi acuti de dolore in bulbis Oculorum conqueruntur ægri, funeſtiſſimum eſt ſignum, mox enim delirium & convulſiones aderunt; convulſiones ſuperveniunt quando inflammatio cerebri incipit abire in Gangrænam.

Ratiocinatio funditus tollitur in dementia; imminuitur in ſtultitia; depravatur in delirio.

Tria ſunt, quæ Phrenitidem præcedere ſolent. Primum eſt agitatio calidorum hu-

humorum; Secundum eſt, eorum raptus in caput; Tertium & poſtremum eſt eorundem humorum malitia, propter quam Naturæ imperio inobedientes exiſtunt.

Malum ſi Phrenitis mutetur in Lethargum, non ita ſi Lethargus in Phrenitidem.

In delirio ſi ſuperveniat alvi fluxus, præſertim morbo ad coctionem tendente, ſolvit illud: ſæpiuſque vidimus ægros deliros, inquietos & anxios Diarrhœa ſuperveniente, ſequente die in melius abiiſſe.

Alvi fluor prodeſt in hoc morbo, non quod morboſam materiam evacuat ſolummodo, ſed etiam, quod dum humoribus huc ruentibus viſcerum abdominalium vaſa deplentur, & ſanguini impulſo minus reſiſtunt, impetus & copia humorum pulcherrime a capite avertitur, quod magni momenti eſt in curatione Phrenitidis. Hic morbus citiſſimam validiſſimorum remediorum applicationem requirit, cum ex ſua natura adeo periculoſus & cito lethalis ſit.

Maximi momenti in Praxi eſt, ut in cura Phrenitidis Symptomaticæ attendatur ad Genium morbi primarii, ex quo orta fuit Phrenitis. Lingua nigra in Acutis fere ſemper poſt ſe trahit delirium.

Febres Ardentes ſemper habent urinas tenues & coloratas: hinc ſi tales urinæ fiunt albidiores tenuioreſque, & adſint vigiliæ, oculorum perturbatio, lingua bal-

bu-

butiens, &c. prognoſticare poteris brev futurum delirium.

Si ſint Phlegmatici Phrenitici, furo non admodum vehemens, vireſque cor poris infirmæ non eſt dandum *Diacodium*; nam in iſtis caſibus ſemper nocent, interr dum pernicioſa ſunt Opiata.

Urinæ ſubjugales, i. e. craſſæ & turb dæ, in Acutis Morbis fere ſemper morbo Capitis poſt ſe trahunt: ſi cum talibu urinis Vigiliæ, ſæviant Dolores Capitis Linguæ aridæ, & Ardores Viſcerum prognoſticato brevi delirium futurum ac ſtantibus.

Nobilis Phreniticus per novem die decubuerat. Nulla arte conciliabatur ſom nus circa nonam noctem, omnia exacer bata. Exſiliebat, & Medico aſſiden manum inferre volebat. A miniſtris i lectum conjectus eſt, fingit ſe dormire Inopinato e lecto ſurgit, & e ſublimi fe neſtra, in Medicum qui in area ſtabat in cidit præceps, miraculo ſanitati reſtitu tur.—Putant caſu diſcuſſam materiam copioſæ Urinæ fluxerunt; vide hanc Hi toriam apud BALLONIUM.

De Pleuritide.

PLeuritidis ſolitariæ non coaffectis Pulmonibus indicia dant Tuſſis abſentia aut raritas, & excretionis, vehementia verò doloris inſignis.

Pleuritidis nomine unius tantùm Lateris affectionem appellavit HIPPOCRATES.

Pleuritis diſtingui ſolet, quod ſit vel exquiſita & vera, ab inflammatione ipſius Pleuræ, ex affluxu ſanguinis efferveſcentis; vel Notha, quæ ſedem habet in Muſculis Intercoſtalibus, vel in eorum interſtitiis, a flatu vel humore ſeroſo & acri ibidem aggeſto.

Pleuritis & Peripneumonia ſunt Affectus fraterni & congeneres, qui ſibi mutuo tradunt operas ad perniciem vel ſolatium ægri—Hæc ſimilitudo Doctiores ſæpe fallit; Juniores itaque deinceps meminerint, non ſolùm doloris ſpecie diſtingui; Pleuriticus namque acutus eſt & pungit vehementer alterutrum latus aut utrumque, cum in Peripneumonia gravis quidem, ſed obtuſus & parvus.

Medici plurimum debent animadvertere ut dignoſcant an Febris ſit eſſentialis an non, quoties agitur de dolore Lateris.—In omni Febre eſſentiali, cum junctus eſt

Lateris dolor Febre aucta dolor augetur; at in vera Pleuritide augetur Febris aucto dolore.

Pulſus ſemper durus eſt in Pleuriticis; pulſus enim durus omnium Inflammationum partes Nerveas vel Membranaceas obſidentium eſt comes.

Dolorum varias ſpecies, magnitudinem & durationem obſervare ac dignoſcere debemus, nam inde pars affecta, cauſa, effectus & eventus dignoſcuntur: Quippe dolor *Punctorius* deſignat Membranam affectam, *Tenſivus* Membranam copia materiæ diſtentam; *Gravativus* partem carnoſam laborare; *Pulſativus* partem cui arteria intexitur.

Pleuritide jam cognita nil aliud per totum morbi decurſum diligentius obſervato quàm ſpirandi difficultatem, quæ quò fuerit facilior vel difficilior, eò Pleuritis erit felicioris vel infelicioris eventûs. Signa verò ex pulſu petita non adeo certam prognoſin exhibent: *in morbis enim Pectoris, nil citius faciliuſque a naturali ſtatu recedit quàm Pulſus.*

Omne ſputum quantò magis commiſtos, non inter ſe deductos colores habet, tantò deterius eſt; & tamen nihil pejus eſt, quàm ſincerum id excreari, ſive flavum eſt, ſive cruentum, ſive glutinoſum, ſive ſpumans.

Si ſputum ante quartum appareat, bonum; morbum enim breviat: nam poſt quartum langueſcentibus viribus & ſputo

craſ-

craſſeſcente hoc difficilius educitur, & morbus exinde augetur. Peſſimum ſignum antea probe ſpuiſſe, deinde ex toto deſiiſſe, gravitate & dolore in pectore permanente.

In omni Lateris inflammatione, dolores fere interdiu, quàm noctu leviores ſunt.

In ſiniſtro Latere plus periculi quàm in dextro habet.

Duplex eſt Pleuritis, Humida & Sicca; Humida facile curatur; Sicca fere mortem minatur.

Quod ad me attinet (inquit Boerhaavius) in ea ſum ſententia, hunc morbum rarò oriri ab inflammatione Pleuræ, ſed potius a Muſculorum Intercoſtalium inflammatione; quod admodum probabile eſſe, & omnium maxime rationi conſentire videtur; nam evidentiſſime liquet, ægrum majorem dolorem percipere in Inſpiratione, dum Muſculi Intercoſtales agunt, & Coſtæ propius ad ſe invicem adducuntur, in expectoratione verò, dum Coſtæ iterum a ſe invicem ſecedunt, & Membrana Pleura magis extenditur, æger minus dolet. Quando inflammatio Pleuræ aut Tuberculorum Pulmonis deſinit in Apoſtema & Pus, tunc Febris vehemens & continua excipitur a tertiana vel quotidiana intermittente: idque fit circa ſeptimum diem, eſtque ſignum certiſſimum incipientis Apoſtematis,

ut ex HIPPOCRATE diducit per experientiam MORTONUS in nobili Tractatu de Phthiſi.

Solo per Tuſſim exſcreatu ſanantur feliciter Pleuritici, & qui hoc prudenter inſtituet, brevi recedentem videbit Pleuritidem; ſudores enim aliæque evacuationes non ita conferunt, nam ab affecta parte non educunt.

Quamdiu in vera Pleuritide pulſus eſt magnus & durus, tunc optimum eſt indicium; ſed ſi pulſus ſit mollis, nec multùm caleat, & æger ſe non melius habeat, fere ſemper deſpero, quia ſanguis intra Pulmonem retinetur.

Perperam agitur cum iis Pleuriticis & Peripneumonicis qui nihil exſpuunt, niſi ſi copiosè effluant Urinæ.

Pleuritici quibus in interiora auris dolor & exinde abſceſſus & pus superveniebant omnes ſanabantur, ut in variis *Italiæ* Xenodochiis frequentiſſime obſervavit BAGLIVIUS: ſed præſertim ineunte Anno 1694 *Romæ*, quo tempore rigidiſſima brumarum glacie, & nive (inſueto *Latii* more) ſæviebat, & derepentè obortæ fuerunt ſæviſſimæ Pleuritides.

Latent interdum per plures annos in Pulmonibus tuberculi abſque ſenſibili moleſtia ægro, tantùm manifeſtantur demum, vel poſt Pleuritidem, vel poſt Anginam, vel poſt Febrem aliquam ſanatam: igitur ſi poſt ſanatam aliquam Febrem ſi-

pe-

perveniat dolor Lateris vel Dorſi, vel alterius Pectoris partis, difficili accedente ac non niſi recta Cervice reſpiratione, tuberculum ad Inflammationem & ſuppuratum iri ſignificat.—Hoc monitum bis obſervavit BAGLIVIUS poſt ſectum illorum Cadaver & ſingula bene examinata.

Si dolore inflammatarum partium ceſſante, (præſertim ſi in Pleuritide vel aliis membranoſarum partium inflammationibus hæc accidant) Febris adhuc perſeveret vel augeatur cum pulſu parvo, intermittenti, frequenti ſudore frigido, &c. malum: æger enim poſt 12 horas a ceſſatione doloris delirabit, & paulo poſt indubie morietur: arguitur enim inflammationem jam terminaſſe in Gangrænam: Hoc HIPPOCRATIS monitum ter obſervavit in Xenedochiis BAGLIVIUS.

Fac ut æger in dextrum vel ſiniſtrum latus decumbat, decumbenti impera ut fortiter reſpiret & tuſſiat, una aut altera finita reſpiratione, pete ab illo, an inter reſpirandum & tuſſiendum dolorem aut gravedinem alicubi in pectore perſentiat? quod ſi affirmet, pro certo habeto Pleuritidis ſedem illic eſſe, ubi dolorem aut gravedinem indicaverit. In omnibus pectoris malis, ſed præſertim ſputo ſanguinis & Pleuritide tenuiſſima diæta imperanda, ne ſanguis nimio tur-

geſcens chylo, in tenellas affecti Pulmonis partes impetum faciat.

Pulſus durities ſemper comitatur Pleuritidem, mollities verò alios plumonum morbos.

Sicut in morbis Capitis alvi fluxus ſuperveniens ſalutaris eſt, ita contrà valde perniciofus in morbis Pectoris, præſertim acutis: cave igitur ne purgans remedium in Pleuritide exhibeas; cave pariter ne copioſo Clyſterum uſu Alvum nimis fluidam reddas: nam exacerbato morbo ſupprimetur, & ſymptomata ingraveſcent cum pernicie ægrotantis.

Pleuritidis ſigna pathognomonica, *lateris dolor pungens, difficilis reſpiratio, parva & frequens; febris aſſidua, ſicca tuſſis.*

Unicum præſidium in Pleuritide eſt ſputum facilitare.

Pleuritidem mutari in Peripneumoniam eſt facilius, quàm Peripneumoniam in Pleuritidem; quippe quæ ſi ſalutaris ſit, per ſputum expurgetur abſque ulla membranarum laterum offenſione; ſin verò exitialis ſit, priùs interimat quàm inflammatio antedictis membranis communicetur, eò quod impedita via ſpirandi citò ægri ſtrangulentur.

In Pleuritide ſi ſputum antea ſuppreſſum ſuperveniat, & ſit flavo-rubeſcens, nunquam venæſectionem imperato, nam poſt ſanguinis miſſionem ſputum denuò ſupprimetur & æger morietur.

Dum

Dum ſanguis mittitur in Pleuritide & non poteſt exire vel ob ſummum dolorem, vel ob craſſitiem, jube ægrum ut vehementer tuſſiat, nam ſtatim exibit.

Adverti debet Pleura Pleuriticorum & Pulmonem Peripneumonicorum poſt mortem ſectorum, ſemper exhibuiſſe ſpectandum magnam copiam polyporum: polypus autem eſt ſanguis diutius ſtagnans dilapſa parte rubra, & rarò pleura ſola abſque pulmone inflammatur.

Quibus Pleuriticis ſtrepitus ſputi multi eſt in pectore, & facies triſtis, & oculi colore auriginis infecti, hi pereunt.

Si in declinatione Pleuritidis, abdomen nunc flatibus intumeſcat, nunc detumeſcat, bonum: ſanantur enim ut plurimum, idque circa decimum morbi diem.

Purgantia in inflammationibus Viſcerum internis, Pleuritide cum primis & Peripneumonia fugiantur; fugiantur quoque Opiata, quæ reſpirationi per ſe difficili incommodant: Venæſectio in Pleuritide exulet.—Expectorantia in principio ſtatim adhibita nocent, cum Tuſſim exaſperent.

Si Pleuritici non repurgari incipiant quarta die, ſed febris augeatur cum aliis ſymptomatis, necnon magna ſpirandi difficultas cum ſtertore ſuperveniat, ſeptima die moriuntur.—Hiſce pedes tumefieri ſolent ante mortem, & oculi caligant.

In Pleuritide, Peripneumonia & hujuſ-

modi pulmonum morbis inflammatoriis, ſi in ſanguine e vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ debet neceſſariò apparere, peſſimum. Materies enim illam cruſtam efficiens in pulmone remanet, eumque infarcit; unde paulo poſt creſcunt febris, inflammatio, ſpirandi difficultas, & reliqua ſymptomata: ſi verò in altera ſanguinis miſſione appareat, bonum; contrà, ſi in ſecunda ne quidem apparebit, abſtine ſtatim a Venæſectione, aliter ægrotantem interficies, quia per repetitam tunc ſanguinis miſſionem ſanguis ſpoliatur parte volatiliori, unde major eidem ad Coagulationes via paratur. Decubitus in latus inflammatum facilis, quia tunc in ſede ſu[a] Membrana remanet; at ſi in oppoſitam partem jaceat æger, ſequitur dolor acerbiſſimus, quia propter Membranæ pondus deorſum trahens, & ejuſdem ſuſpenſionem inflammationemque, dolor per totam ejus continuationem extenditu[r] uſque ad humeros, & jugula.

In principio Pleuritidum qui Purganti[a] exhibent, ſputum ſupprimunt, febrem & morbum adaugent; e contrà qui forti[a] Diaphoretica in principiis exhibent, v[el] delirium vel alia graviſſima Capitis ma[la] producunt.

Ut Pleuritis bene ſolvatur, debet pri[ùs] ceſſare Febris, & poſtea dolor affecti la[-] teris, ſi verò ceſſante dolore, Febris ac[-]

hu[-]

huc perſiſtat vel augeatur cum aliis ſymptomatis, grave malum imminet ægrotanti.

Quocunque die, ſecundo ſcilicet, aut quarto, quinto, ſeptimo, &c. ante vel poſt factam ſanguinis miſſionem ſpirandi difficultas, & difficultas pariter exſcreandi ſputi Pleuritico ſuperveniant, ſtatim duo Veſicantia Tibiis admovenda, juxta illud HIPPOCRATIS in Prognoſt. In Pulmoniis quicunque tumores fiunt ad Crura optimi ſunt, &c. Poſt appoſita Veſicantia ſtatim promovetur expectoratio, ſpirandi difficultas imminuitur, & Alvi Fluxus, ſi adeſſet, feliciter ſiſtitur, omneſque Pleuritici talibus ſymptomatis affecti brevi & feliciter ſanantur.

Advertendum eſt ſemper debere in Pleuritide plus detrahi Sanguinis, quàm in Peripneumonia.

Ego quidem (ait Doctiſſimus FREINDIUS) hac ipſa, quæ proxime elapſa eſt, hyeme, *Pleuriticis* interfui non paucis, quibus nulla fuerit puris exſpuendi ſignificatio: qui tamen omnes ter aut amplius ſectâ Venâ admotiſque *Veſicatoriis*, ad ſanitatem pervenerunt. Et in hoc rerum ſtatu non dubitans dixerim. *Oleoſa* omnia, quæque ad ſputum excitandum idonea habentur, per ſeipſa parum proficere.

De Peripneumoniâ.

INtenſum Aëris frigus omnium maxime producendo favet: ab intenſo frigore coagulationis metus eſt, omnium maxime ſi ab exercitiis vel foci calore æſtuantes homines Aërem gelidiſſimum imprudenter hauriant.

Plures in Peripneumonia cauſæ concurrunt, quæ faciunt, ut Aër inſpiratus plurimum caleſcere debeat. Pulmo enim infarcitur rubra craſſiſſima ſanguinis parte, quam Calori concipiendo & conceptum diu retinendo aptiſſimum eſſe novimus: per vaſa pulmonis nondum impervia, ſed a vicinis obſtructis & tumentibus anguſtata, celerrime trajiciuntur humores, unde majorem calorem naſci debere jam demonſtratum fuit. Accedit, quod immeabili ſanguine turgens Pulmo ſatis explicari nequeat, adeoque minor copia Aëris ſingulis inſpirationibus hauriri poſſit. Ex quibus omnibus ſimul intelligitur ratio, quare calidiſſimus percipiatur Aër exſpiratus in Peripneumonicis.

Peripneumoniæ in Sanitatem exitus ſperari nequit, niſi levis tantùm ille morbus fuerit, id eſt, inflammatio tantùm in

Ar-

Arteria Bronchiali hæſerit, vel in parva tantùm parte Arteriæ Pulmonalis.

In Peripneumonia ſi Febris, Tuſſis, & reliqua ſigna exacerbantur quinta die, quò major exacerbatio, eò certior mors ſeptima die. Ubi ante quartam diem ſymptomatum levamen non percipitur, non amplius ſperari poterit reſolutio, ſed juſtus metus eſt, ne in Suppurationem vergat Inflammatio.

Sputum flavum cum pauco ſanguine miſtum laudabile eſt in hujus morbi initio, damnabile verò ſputum flavum ſincerum, quia non omnia Vaſa liberantur, quæ infarcta ſunt, aliter enim & ſanguinei quid in hoc ſputo appareret; ſimul etiam album viſcidum & rotundum ſputum inutile, quia nihil materiæ morboſæ continet, ſed tantùm muco, Bronchia lubricante, inſpiſſato, & in Pulmonis cellulis compacto in rotundam figuram, conſtat.

Periculoſum ſemper eſt, ſi Abſceſſus jam nati evaneſcant, & omnino lethale, ſi nulla alia evacuatio, ſtatim ſuccedens, educat de corpore morboſam materiam.

Differt Vomica a Scirrhoſa Pulmonis duritie, in hoc quod Vomica quotidie mole augetur donec crepet; Scirrhoſa verò Pulmonis durities in eodem ſtatu manet, adeoque ſatis evidens hujus mali diagnoſis haberi poterit. Niſi ſeptimo die Febris dimiſerit, ſuffocationem eodem hoc

hoc die & mortem, vel & nono, inſtare in Peripneumonia, monuit Coüs Senex.

Si natus eſt morbus ex Angina, ferè intra diem ſeptimum occidit, aut in Tabem tranſit. Si ſputo ipſe levatur dolor, quamvis id purulentum eſt, æger tamen facile ſpirat, facile exſcreat, morbum ipſum facile ſuſtinet, poteſt ei ſecunda valetudo contingere.

Eodem modo ſi Abſceſſus pone Aures oritur, & ad ſuppurationem, maturitatemque pervenit, aut ſi idem in inferioribus locis corporis enaſcitur, & in fiſtulam abit, ſpes eſſe multa vitæ debet.

Suppurationes a morbis Pulmonum ortæ ferè ſenes tollunt, aliæ juniores.

Peripneumonia Notha oriri ſolet ex pituita lenta in toto ſanguine nata, & ſenſim Pulmones infarciente donec in hunc morbum eat: ſenes pituitoſi, frigidi, catarrhoſi, & gravedine laborantes huic morbo ſunt obnoxiores: Primò, fallaci lenitate opprimit inopinantes, quippe levi fatigatione, debilitate, proſtrato fere omni animi motu, anhelitu, oppreſſione Pectoris, incipiens adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febriſve indicia moneant periculi: mox vagæ horripilationes, leviuſculi Febris inſultus adſunt, unde ſubitò ceſſante anhelitu & debilitate, Mors, cujus in Urina & Pulſu vix ullum adfuit præſagium.

Pe-

Peripneumonia ad Vaſa Pulmonalia, eſt periculoſiſſima, minus periculoſa eſt in Vaſis Bronchialibus arterioſis.

Exquiſita Peripneumonia ſedem habet in Arteria Pulmonali, quæ ſi per paucas horas duret, producet mortem.

Si æger ante quartum diem morbi alvum habeat laxam, reddentem materiam mucoſam, ſubviſcidam, flavam colore, intermiſtis paucis ſtrigmentis, ſemper ſanantur.

Si reſpiratio facilis, nec febres magna, laxitas & mollities toto corpore æquales cum libera diaphoreſi, calore & ſomno blandis adſint, Medicus recreari & conſolari ſe certa ſalutis ſpe poterit.

Nullum ſignum minus fallet quàm *Humiditas*, quod eſt optimum; nam denotat jam ſat ſanguinis diſtribui per totum corpus.

In Peripneumonia difficultas reſpirandi major eſt quàm in Pleuritide; quoniam in reſpiratione ordine prior eſt hauſtus Aëris, quàm motus pectoris extrorſum, & hic fieri non poteſt, niſi extendatur Pulmo, neque extendi Pulmo, niſi cedat irruenti Aëri, neque ipſi cedere poteſt, cum in tumorem induruit, inflammato igitur Pulmone moveri nulla inſtrumenta reſpirationis poterunt, cum tamen in Pleuritide ſolum pectus affectum ſit, & nihil aliud ſuperare debeant muſculi, quàm reſiſtentiam affectionis; at in Peripneumonia Aër irruens debet pulmonem

dura-

duratum extendere, & muſculi totum ferè Aërem circumfuſum loco moveri vix æquilibrati ab interno Aëre non ſequente motum pectoris propter duritiem non cedentis pulmonis.

Hoc ſane Morbi genus (inquit Celsus) plus periculi quàm doloris habet.

Animi affectibus & Muſculari motu augetur Circulationis velocitas, quies igitur & Corporis & Animi requiritur in curatione hujus Morbi. Omnia illa quæ purgant, ſudorem excitant, aliiſve modis Corpus turbant, vitanda ſunt. Magni eſt momenti ſputorum in hoc Morbo excretio, ſi ſuppreſſum igitur illud fuerit, ſumma eſt neceſſitas, ut omni molimine redintegretur evacuatio ſputi.

De Phthiſi.

PHthiſis plerumque lethalis eſt ubi Pulmones pleuræ accreverint, inducta ſcilicet graviori reſpiratione & tranſpiratione pulmonum difficiliori reddita.

Morbis facile afficitur pulmo, & ut vult Helmontius membrorum primum eſt ſeneſcens: Mollis cum ſit ſubſtantia, materiam rodentem diu ſine læſione ſuſtinere nequit.

Cauſa exulcerationis ſubſtantiæ pulmonum

num eſt ſanguis bilioſus, acrimonia prædítus, ſaliniſque atomis prægnans, erodendi vi donatis: hic a toto, mediante circulatione, ad pulmones delatus e vaſis per orificiorum reſerationem, eorum apertionem aut rarefactionem, illos erodit & exulcerat: inde calor nativus infirmior redditus, allatum ſuccum nutritium in alimentum non tranſmutat, ſed in pus: hinc puris ejectio continua: hinc totius macies, huic ſanguinem ſurripientibus pulmonibus, cordique, ſanguificationis organo malam diatheſin communicantibus.

Vomitio vel vomendi diſpoſitio poſt paſtum tuſſi arida concitata, eſt ſignum certiſſimum Phthiſeos; ſecundum ſignum eſt Febris hectica cum calore in volis manuum, & rubore genarum præcipue poſt paſtum; tertium, extenuatio corporis.

Qui pertinaci raucedine laborant, hectici moriuntur anno vix elapſo.

Phthiſis tum pulmonaris, tum ab aliis cauſis inducta, ortum ſæpe ducit a lympha craſſiore reddita, infarciente tum Pulmonum veſiculas, tum glandulas in Meſenterio ſitas, quamobrem illis oppletis pulmones, officio male funguntur, corruptio illos invadit, à Lymphæ ſcilicet putredine: his ſcilicet glandulis obſtructis a craſſiore lympha, Chylus non permeat venas lacteas, hinc diſtitutæ alimento partes tabeſcunt.

Ad-

Adſunt duæ ſuppurati & tabidi pulmonis Cauſæ, altera eſt *Membri languor & imbecillicitas*, altera eſt *Nutrimenti pravitas*: quæ duæ cauſæ ſi concurrant, facile ſine diſtillatione, ſine ulcere, ac ſine alio particulari affectu ſuppuratur ac tabeſcit homo.

Tres ſunt cauſæ quæ Pulmonem ad Tuſſim aut Phthiſin promptius contrahendam diſponunt, videlicet, 1. Mala pectoris conformatio. 2. Pulmonum innata debilitas, ſive hæreditaria ad Tabem diſpoſitio. 3. Thoracis Morbi præcedanei, uti ſunt vulnus vel plaga, Pleuritis, Peripneumonia, Empyema, Hæmoptoë, Variolæ & Morbilli, cum quibuſdam aliis. 4. His addatur auræ inſpiratæ incongruitas.

Phthiſin a toto ſubinde venoſo genere oriri plane ſum certus (inquit BARTHOLINUS): ſanguinis enim Vitium non Corpus tantùm emaciat, ſed & Pulmones, quos in circulatione tranſit, omnis (ſive aut horum culpa aut cerebri) ſua acrimonia irritat & corrumpit; a quocunque tamen vitio Phthiſis dependeat, Pulmones tamen in pleriſque Phthiſicis tandem depravatos obſervavi.

Obſervatum eſt in Phthiſicis, quibus quotidie per ſputa pus in pulmonem collectum evacuatur, veſpertino tempore dum hectica illorum Febris multùm augeri ſolet, ſputa ſupprimi cum anxietatis aug-

augmento; matutino demum tempore, minuta Febre, ſputa iterum excerni cum ſummo levamine.

Duo tanquam pathognomonica crudi & adhuc incipientis Tuberculi ſigna ſunt, Tuſſis ſicca, & Dolor lenis in alterutro pectoris loco; & quamdiu quidem Tuberculum adhuc crudius fuerit, Dolorem exilem & Tuſſim ſiccam inducit: Quò longius a Trachea & pulmonum centro diſtat Vomica, eò minus periclitantur de ſuffocatione: pus enim in cavitatem pectoris erumpet, aut per urinas eliminabitur.

Vomica pulmonum & Phthiſis in eo ſaltem differunt, quod Vomica ſit ulcus pulmonum clauſum ſeu abſceſſus, Phthiſis verò ulcus ſordidum ex abſceſſu jam rupto & aperto.

In lethalibus Pulmonum morbis cum febre & ſine febre, fere ſemper circa finem obſervavimus affectiones Capitis, ſopores nempe, lethargum, vertigines, oculorum caligines. Longum hoc malum eſt, & certam ægrotis perniciem affert, eique magis opportuna ea ætas eſt, quæ anno decimo octavo, & triceſimo quinto intercedit.

Fere autem is homo, de quo ſub hoc morbo ſpes haberi aliqua poteſt, ſputum excreare debet album, per omnia æquale, tum ſubſtantia, tum colore, ſimileque

etiam eſſe id debet, quod a Capite in Nares diſtillat.

Cùm in omnibus Morbis incommoda tumida præcordia, tum maximè horrenda in Tabe ſunt.

Neque tamen in hoc Morbo tanta ſignorum ſpeculatione opus eſt; ſi quis enim vel plebeius (ait ARETÆUS) hominem viderit pallentem, imbecillem, tuſſientem, macie confectum, hunc verâ Phthoë laborare pronuntiat.

Ulcus, ſputum, febris & macies contraria remedia expoſcunt, & igitur difficillimè curatur Phthiſis—Illa enim quæ ulcus exſiccant, ſputum impediunt, febrem augent, & maciem; humectantia verò quæ febri & maciei obſiſtunt, ulcus ſordidius efficiunt. Improviſo moriuntur Phthiſici, quoties circa Æquinoctium præſertim Autumnale, pus per Anacatharſin non amplius excernunt. Pus phthiſeos confirmatæ eſt graveolens, & etiamſi ſit ſpiſſum, non tamen glutinoſum ſeu tenax, ſed fluidum variorum colorum, flavi, ſcil. viridis, ſed frequentius cinerei.—Sudores colliquativi, quos ſi Arte obſtruentur, inſequuntur Tumores hydropici in pectore vel cruribus, ſive Dyſenteria vel Diarrhœa. Signum ultimum eſt Salivatio, unde calor gutturis præternaturalis & Aphthæ pertinaces, incurabiles, mortem non procul abeſſe plerumque nunciantes.

He-

Hectica incipiens difficillime cognoſcitur, facillime curatur; confirmata e contra.

Si quis tuſſiendo, alba quædam, veluti granula excreverit, & granula illa digitis compreſſa ſummopere fœtent, vomicam pectoris latentem certò denuntiant, præſertim ſi alia quæque aderint ſigna, hi rupta vomica ut plurimum derepentè moriuntur.

Omnes aliarum partium ſuppurationes manifeſtantur per rigorem & febrim ſupervenientes; ſola Pulmonum, id eſt Vomica eorundem, clanculùm & ſine prædictis ſupervenit.

Abſceſſus ad aures & pedes in Vomica Pulmonum, boni ſunt; nam per hæc duo loca, tanquam per duo præcipua emunctoria ſecreto quodam modo ſolet expurgari.

Vomica laborantes de cætero bene ſe habentes, difficulter ſpirare incipiunt, difficilis ſpiratio ſenſim augetur, inter ſpirandum non ſtertunt, & nil exſpuunt, dolorem quoque in Pectore ſentiunt continuum & dolentem, in locum decumbere non poſſunt: ſicca tuſſi laborant, tandem genæ rubent, febricula ſupervenit, & negotio ad ſuppurationem vergente alia ſuppurationis ſigna accedunt: Duo tamen tanquam pathognomonica crudi & adhuc incipientis Tuberculi ſigna ſunt Tuſſis ſicca, & Dolor lenis in alterutro pectoris loco.

Qui Tuberculo Pulmonum laborant, ſæpiſſime derepente moriuntur, nam illo ſuppurato, pus erumpit in Trachæam & ægrum ſuffocat; hinc quò longius a Trachæa, & Pulmonum centro diſtat, eò minus periclitantur de ſuffocatione; pus enim in cavitatem Pectoribus erumpet, aut per Urinas eliminabitur.

In Tabidis ſi dolor vehemens lateris derepente ſupervenit, brevi delirabunt, febris magna accendetur, & paucis poſt diebus moriuntur. Scias tamen quod quando dolores illi lateris vehementes in Tabidis ſuperveniunt cum aliis præfatis circumſtantiis, talem tabem oriri infallibiliter a connexione præternaturali Pulmonum cum Coſtis; eamque prognoſticare poteris, idque repetita Cadaverum Tabidorum ſectione abunde cognovit BAGLIVIUS. Cave ne Phthiſicos purgantibus magis exhaurias, a quorum uſu ſemper pejus ſe habent.

De Stranguriâ & Iſchuriâ.

STranguria eſt Urinæ guttatim facta, cum vel ſine dolore, & continuo ad mingendum ſtimulo excretio—*Dyſuria* autem eſt Urinæ cum magno cruciatu & labore excretio: a Stranguria differt, quod

in

in hac non expectat veſica ut Urina tota colligatur, ſed ſtatim tanquam mordentem expellit; in Dyſuria verò expectat quidem, atque aliquando diutius quàm oporteat, ſed cum excernenda eſt, percipit æger dolorem, aut tantam difficultatem, ut ſæpe niſi locum Veſicæ comprimat manu, aut diu & magno conatu enitatur, libere non profluat.

Iſchuriæ raró ſeptimum ſuperant diem, ſi nempe reliquæ viæ ſint obſtructæ, quibus interea vel per ſudores, vel per alvum, vel vomitum humiditates evacuentur.

In quibus Stranguria eſt, etſi nullus morbus renum anteceſſerit, timeri etiam caculus Veſicæ debet, non qui deſcenderit ex renibus, ſed illic ob languidum mictum congeſtione genitus eſt; nam fit poſt mictum concretio in omnibus, qui quacunque cauſa languide mingunt: fit vere id in pueris, & in ſenibus quidem, quia naturale eſt his languide mingere. Ad ſuppreſſam Urinam ſi Teneſmus accedit, intra ſeptimum diem occidit, niſi Febris intervenerit, quæ liquefactione iter Urinæ expediat. Iſchuria a grumoſo ſanguine proveniens periculoſa eſt.

Peſſima eſt Urinæ ſuppreſſio, quæ a caloris nativi extinctione in Acutis accidit.

Stranguria quæ eſt ab Urinæ vitio, facilius curatur, quàm quæ eſt a Veſicæ morbo, præcipue in ſenibus.

De Scorbuticâ Affectione, Scabie, &c.

OBſervare eſt qui cibis ſale conditis fumoque induratis maxime veſcuntur, atque vinum & aquas ardentes copioſe bibunt, e quibus particulæ ſalinæ & ſulphureæ in ſanguinem rapiuntur, ſcorbuto plurimum obnoxios reperiri: porro qui carne porcina, aut etiam Piſcium, licet recentium, ac imprimis teſtaceorum carnibus plurimum aluntur, ſi quidem hæc alimenta ſulphuris & ſalis rancidorum (uti colligere eſt ex putreſcentium inſigni fœtore) copiam præbent, facile in Scorbutum, & quod majus eſt, quandoque in Lepram proclives habentur.

Materialis hujus morbi Cauſa haud in privato quodam loco, aut ſingulari minera continetur, ſed cum per totum corpus, & ſingulas ejus partes, tum intus tum extus diffundatur, colligere eſt Miaſma Scorbuticum vel in *Sanguine*, vel in Succo *Nervoſo*, aut ſimul in *utriſque* fundari: revera *Sanguini* labem affigi, efferveſcentiæ ejus inordinatæ, macularum

aut tuberculorum eruptiones, plane teſtantur; nec minus in *liquore Nervoſo* vitium hærere declarant moleſtiſſimi dolores, tum intus in Membranis, tum extus in muſculoſo genere excitati, &c.

Maculæ in Cruribus, aliiſque partibus Corporis erumpentes, Scorbuti ſignum pathognomonicum habentes, hæ quandoque latiores, diverſicolores, modò citrinæ, modò ſubfuſcæ, purpureæ, lividæ, aut nigræ apparent.

Dolores ſimiles ſunt iis qui in Lue Gallica oriuntur, unde confuſio orta eſt inter hos morbos, ſed differentia in eo reſidet, in Lue Gallica manè dolores deſinunt, in Scorbuto manent, dein & in Scorbuto circa juncturas habetur dolor æque per totum Corpus diffuſus, ſed in Lue Venerea in medio Oſſis habetur; niſi verò hæ diſtinctiones eſſent, omnia inter ſe haberent communia, nam fœtor, dolor, &c. ſunt idem. Morbus eſt recens, neque Græcis neque Arabibus cognitus, inter Nautas Luſitanos novas regiones in India Orientali tunc temporis explorantes primùm graſſabatur. Poſtea aliò ſe tranſplantavit, ſedemque in Dania aliiſque Septentrioni vicinis Nationibus poſuit.—Georgius Fabricius tamen affectum hunc antiquiorem facit, aitque vitium hoc recens & inauditum illic A. D. 1482 ſeſe late diffudiſſe, neque ſolummodo valde periculoſum, ſed conta-

gioſum quoque extitiſſe. Tandem, annum circa 1600, ſeſe per omnem fere Europam diſſeminavit, malumque his diebus Epidemicum eſt.

Stomacacen ac Scelotyrben (morbos a PLINIO deſcriptos) ipſiſſimum Scorbutum eſſe putavit SENNERTUS; cum in iis locis, in quæ *Cæſar Germanicus* trans Rhenum caſtra promovit, malum hodie etiam ſit frequens, & præcipue in caſtris, iis maxime in locis, facile contrahi poſſit.

Quæ HIPPOCRATES de magnis lienibus habet, optimè omnino in Scorbutum quadrant. Ita enim lib. περὶ τῶν ἔνλος πάθων· *Venter inflatur, poſtea verò etiam lien intumeſcit, & durus eſt, ac dolores acuti in ſplenem incidunt. Color etiam mutatur, & niger conſpicitur, pallidus, & qui malicorii ſpeciem referat; & ex ore male olet, & gingivæ male olent, eæque dentibus diſcedunt, & in tibiis ulcera, veluti puſtulæ nocturnæ, erumpunt, membra verò extenuantur, & ſtercus per alvum non demittitur.* Et in fine Lib. 2. Porrhet. *Quibus lienes magni ſunt, iis gingivæ vitiantur, & os grave olet: quibus autem lienes magni ſunt, neque ſanguinis eruptiones contingunt, neque os grave olet; ii in Tibiis mala ulcera habent, & nigras cicatrices.*

Impetigo a morbis aliis affinibus, atque imprimis a Scabie & Lepra diſtinguitur;

tur: A priori differt quoad puſtularum formas; namque in Pſora ubique fere ſingulares & ſpatiis, licet exiguis, ab invicem remotæ exiſtunt, hic plures conglobatim, & quaſi per racemos magnis intervallis ſejunctos, erumpunt; verùm inter hos affectus diſcrimen maximum inde naſcitur, quod Scabies per contagium facillime, & vix aliter exoriri aut propagari ſoleat, impetiginis verò infectio tam rara aut nulla eſt, ut miaſma a Viro in Uxorem, aut ab hac in illum aſſidue concumbentibus minime tranſeat. Hic morbus etiam a Lepra diſcriminatur, tum quoad eruptionis formam, tum reſpectu contagii, quod in hac pariter activum eſt ac in Pſora, ipſaque ἐξάνθησις multò immanior & horrenda eſt, videlicet cruſtacea & ſquamoſa, ubique continua & per totum Corpus diffuſa.

Affectus hujuſce cauſa tum procatarctica, tum conjuncta, in eo conſiſtunt, quod imprimis abſque ullo cutis vitio, ſanguinem particulis ſalinis diverſimodi ſtatûs ac indolis ſaturari contingit, atque ſalia iſta, præſertim ubi fixa ac acida præpollent, ſe mutuò prehendunt, adeoque in coagula quaſi tartarea concreſcunt, quæ portiones in ſanguinem protruſæ, papularum eruptiones, quaſi totidem hujus morbi nidos inchoant, dein illæ ſenſim juxta materiæ ſupplementa, tum nu-

mero, tum magnitudine, in dies auctæ, morbi hujus initium, incrementum & ἀκμὴν producunt. Scabiei duas faciunt ſpecies, alteram *Siccam*, quam ad impetiginem retulimus, & quæ vix eſt contagioſa, alteram *Humidam*, quæ hoc loco proponitur. Cutis, ubi puſtulæ ſcabioſæ ſunt erupturæ, primò rubet, prurit multùm, & aliquomodo indureſcit, dein erumpunt puſtulæ vel pallidæ vel ſublividæ, quibus ruptis effluit Ichor, relinquentes ulcuſculum humidum pruriens admodum, quod dein tegitur cruſta, in cujus ambitu Cutis rubet & prurit, cum calore ſæpe & dolore. Ut plurimum primò naſcuntur inter digitos & in flexuris articulorum. Hæ puſtulæ non in omnibus ſunt ſibi ſimiles; quædam ſunt parvæ ichoroſæ, aliæ majores lentum humorem continentes, aliæ maximæ & in ambitu inflammatæ. Liquor effluens tangens alia corpora, iſta ſimili labe inficit. Vix poſſunt puſtulæ ſcabioſæ diſtingui ab Herpete, niſi quod fiant etiam in adultis, magis inter digitos quàm in facie, & quod ſint contagioſæ.

Pſora, ſive Scabies vulgo deſcribitur eſſe puſtularum in toto corpore ſparſim eruptio, ab humore acri & ſalſo, intra poros Cutis aggeſto procedens, & exinde ut diſcutiatur, ob pruritum inſignem, ſcalpendi neceſſitatem inducens.

Ex

Ex Scabie retropulſa vel male curata, quamplures infauſti morbi ſuperveniunt, utpote ſunt Sputum Sanguinis, Apoplexia, Hydrops, Febres longæ, &c. Proficuam Hydropis hiſtoriam a retropulſa Scabie producta narrat HIPPOCRATES in Epidemiis hiſce verbis. *Erat homo quidam* Athenis *fœdiſſima ſcabie laborans, atque ut ſanaretur acceſſit* Milos, *ubi calidæ ſunt thermæ, quarum uſu convaluit a ſcabie, ſed paulo poſt incidit in Hydropem, & exinde mortuus eſt.* Sæpiſſime incidunt in febrem, & cæcitatem, ut expertus eſt SENERTUS: *Puer* (inquit) *ſcabie linimentis retropulſa, in cæcitatem & febrem, qui, accidente Epilepſia, ſupremum diem obiit.* Scabies quartanario ſuperveniens, bonum; morbus enim quartanarius brevi ſolvetur, & ipſa ſcabies nullis adhibitis remediis ſponte ſua paulo poſt recedet, ut repetita teſtatur experientia.

In Scabie aliiſque excretionibus cutaneis non facile topicis, cumprimis linimentis externis utere, niſi laxantia aliaque Sanguinem depurantia præmiſeris.

De Tuſſi.

TUſſis eſt expiratio vehemens, crebrior, inæqualis & ſonora, propter cu-

cujuſdam moleſti & irritantis aut ſedatic nem, aut e pulmonibus, per Trache Ductus expulſionem, excitata.

Tuſſis Infantum fere ſemper eſſe ſole a ſtomacho cruditatibus ſcatente, quo i caſu ſemper ſtomachus reſpiciendus eſt non poſthabitis tamen pectoris remediis.

Tuſſis violenta producere ſolet in Pueri *Herniam*, in Fœminis *Abortum*, & in Vi ris *Phthiſin*, ideo nunquam ſpernenda.

Si Tuſſis cum Febre pertinaciter affi ciat ægrum, & nullis cedat remediis, i Tabem migrat, etiamſi ſanguis non ſpua tur. Tuſſis aliis morbis ſuperveniens no curatur, niſi curatis morbis a quo pen det.

Quibus in febribus accidit Tuſſis, febre non liberantur perfectè, ſi Tuſſi adhuc perſeveret.

Tuſſes ſiccas & Gutturis aſperitates in ducit conſtitutio temporis aquilonia.

Tuſſis violenta in Pulmonibus orta, ca piti communicata producere poteſt ſub taneam memoriæ atque ratiocinii jac turam, nec non paralyſin manuum & alio rum membrorum. Nil eſt tam vulgar quàm Tuſſis, & quò magis Tuſſis eſt vul garis, eò fere negligitur; mala eſt affectio ut ſignum, & ut cauſa; ut ſignum, quia aut vitium partium a quibus manat flu xio, aut in quas repit, aut humoris ma litiam ſignificat: ut cauſa, quia ſucceſſ & exceſſu pulmonem offendit, & caput

im

immo caput replet (ait DIVINUS SENEX) ob agitationem, & pulmonem calfacit, quæ incommoda magnifacit.

Hydropi ſi Tuſſis superveniat, malum; arguet enim humorem viam ſibi facere ad pectus, vel ſi jam etiam pectus hydrope laborabat, humorem fermenteſcere, atque ita pulmonem magis irritari. Tuſſes pectorales a purgantibus ſolent exaſperari: contra verò concedi poſſunt in Tuſſi ſtomachali, & ubi magna Sanguinis cacochymia deprehenditur.

In Tuſſi ſicca ex humorum acrimonia eorumque tenuitate producta, uſus lactis (aſinini præſertim) præſtantiſſimum eſt remedium.

De Vertigine.

CORporis circumgyratio, Vectio in curru aut navi, ebrietas, inaſſuetus Nicotianæ fumus, ſpiritus in cerebro inordinate titubare faciunt, qui proinde ſtatim a debito in Nervos affluxu inhibentur, ut affecti vix ſtare aut progredi valeant: pariter, e contra, intuitus ab alto, pontium tranſitus, languor, aut Syncope ingruens, ſpiritus a ſolita in nervoſum genus emanatione revocant, qui proinde intra cerebrum tumultuantes, aut inordinatius commoti, Scotomiam aut objectorum circumrotationem inducunt.

Quoad

Quoad morbi hujus ſedem, notandum, illam modò interius, ac, uti videtur, in corpore calloſo contingere, fere tantum in ſincipite ſpirituum tumultus & vacillationes, atque notionum & ſenſionum actus vagos, inconſtantes & ſæpe confuſos habere; quandoque autem materiem morbificam poſterius circa corpora ſtriata decumbentem, ſcotomiam functioniſque motivæ deliquia ciere, ut ſæpe oculi obſcurentur & greſſus vacillent.

Cum ſolum circumagi corpus, vel exteriora videntur, δῖνος vel ἴλιγγος vocatur; quando verò ſimul oculi veluti offusâ caligine, obſcurantur, σκότωμα & σκοτοδῖνος, ſeu Vertigo tenebricoſa appellatur, quæ ſæpe ita ingraveſcit, ut æger protinus concidat, niſi prehenſis proximis adminiculis ſeſe fulciat, ac ſuſtentet.

Vertigo eſt imaginationis, ac ſenſûs communis læſio, ac depravatio talis, ut omnia in gyrum circumagi videantur, a circulari ſpirituum animalium motu in Cerebro ortum habens.

Periculoſior eſt Vertigo, quæ fit per ἰδιοπάθειαν, quàm quæ per συμπάθειαν.

Magna eſt huic affectioni cum Epilepſia cognatio, faciliſque in eam tranſitus, non obſcurè tamen ab ea differt cum materia, tum ſymptomatis, in hac verò Convulſio eſt, in illa neutiquam.

Vomitoria in Vertigine ſæpius prodeſſe con-

conſtat; cumque Vertiginoſi non rarò ſponte vomant, hinc opinio inolevit Morbi cauſam fere ſemper in Ventriculo latere, quod ſecus eſt: Emetica autem juvant, quia maxima humorum a Cerebro fit revulſio, & ſpiritus in eo tumultuantes quamprimum coërcentur.

In incremento mali, membra hominis reſolvuntur, iſque humi reptat; nauſea fit, & vomitus aut pituitæ, aut flavæ, atræve bilis: Flavæ bili ſuccedit *Inſania*, atræ *Melancholia*, pituitæ *Epilepſia*.

De Vomitu & Nauſeâ.

SI quando quiſpiam Vomitu afficiatur, in ſe perſentit fundum Ventriculi ſurſum contrahi, atque orificium ſuperius aperiri, Pyloro interim (uti videtur) occluſo aut introrſum deducto, ſimulque totum Oeſophagi ductum motu inverſo, ſcil. ab imo ad ſummum, velut cochleatione quadam committi, ut contenta quæque uſque ſuperius protruſa demum per os egerantur: Hujuſmodi partium iſtarum motus proculdubio perficiuntur per fibras carneas mediam Ventriculi tunicam pertexentes.

Irritatio Ventriculi tunicæ interiori facta, præ alia quacunque cauſa Vomitionem ciet:

ciet: Etenim hæc pars valde ſenſilis &
nervea, ab omnibus Ventriculi contem
tis impreſſiones ſuſcipit, & juxta quo
hæ jucundæ aut moleſtæ fuerint tunic
carnea ſuperſtrata ad complexionis ve
excretionis motus ſtimulatur, & quoa
poſteriores hoſce, prout Objectum im
proportionatum plus aut minus naturæ mo
leſtum eſt, aut Vomitio aut Purgatio ac
cietur: Porro in hac Stomachi tunica pe
culiare quoddam Senſorium, ſive Tactu
ſive Guſtus, a quovis alio in toto Cor
pore diſtinctum collocari videtur: quip
pe cum Pharmaca, aut Alimenta quædam
uti Stibium, Mercurius Vitæ, Flores An
timonii, Ova Piſcis Borbi, cum mult
aliis ore maſticata, nullam ſenſui exhi
bent moleſtiam, illa ſtomacho immerſ
tunicam hanc quàm immaniter irritant
brevi Spaſmos graviſſimos cient. Etſi ma
teria Vomitu rejecta mera ſit bilis, ex
ſtimat tamen WILLISIUS eam Vomiti
onis cauſam primariam non eſſe, ſed ea
a Vaſis Choledochis, propter Spaſmu
priùs inductum exantlari.

Nauſea & Vomitus a bile ſæpe cient
Nauſea quidem præſertim á bile volatili
re ad Ventriculum quavis forma & mo
aſſurgente, ipſumque ad vomendum i
ſtante: *Vomitus* autem tum ab eadem b
volatiliore, tum præſertim ab ipſa acric
ad Ventriculum deducta, eundemque
bique mordicante, quin ad Motus Pe
ſtaltici inverſionem cognata, &c.

W

Vomitionis crebræ & habitualis, ſæpenumero cauſa eſt non tàm materies Ventriculum irritans, quàm fibrarum ejus nervearum debilitas, & nimia in irritationes propenſio, in quantum ſcilicet illæ teneræ admodum aut infirmæ, neque ingeſta concoquere, nec eorum onus ſive gravamen ſufferre valent, quin a quolibet iis incumbente mox irritantur, & proinde quod moleſtum eſt expellendi gratia, fibras carneas in Spaſmos Emeticos cient.

Hujuſmodi affectionis duo ſunt præcipui Caſus, videlicet aut Stomachi debilitas fibris ipſis inſita a paſſionibus inordinatis, uti Crapula, &c. vel fibræ iſtæ, quanquam ſe rite habentes, tamen propter nervos alicubi obſtructos, debito ſpirituum affluxu deſtituuntur, proindeque languidæ & flacceſcentes, ingeſta quæque haud tolerant, quin ſtatim aggravatæ per Vomitum ejiciunt.

In priori affectu ejuſmodi remedia indicantur, quæ fibras nimis diſtentas & tenues ſtypticitate ſua corrugari, ac in ſpatium brevius contrahi faciant, nec non quæ mulcimine ſuo pergrato ſpiritus illuc copioſius allectent & languidos refocillent: In poſteriori, Ventriculi ſcilicet debilitate ſive reſolutione propter nervos alicubi obſtructos excitata, remedia antiparalytica cum ſtomachicis adjunctis præcipui ſunt uſus.

Quæ fœmina, dum jejuna eſt, billioſa vomit per multos dies, ſi neque Uterum

fert, neque febricitat, ſcire licet hanc lumbricos rotundos ſimul vomere, aut certè hos vomituram eſſe.

Vomitioni ſingultum, aut nervorum acceſſiſſe diſtentionem, malum eſt; maxime ſi ſinceri humores rejiciuntur.

Qui ab jecinore proficiſcitur ſanguis, ſplendidior eſt, ac magis purus; quem autem Lien fundit, is turbidior, & ſubniger, & interdum acidus eſt. Cæterum qui a Ventriculi ſubſtantia detritus Sanguis evomitur, nunquam fere dolorem aliquem non exhibet. Fœmina ſi Sanguinem vomit, fuſis Menſtruis liberatur.

Nauſea eſt inane Vomendi deſiderium cum anxietate, & tenuis ac pellucidi humoris per ſimplicem Salivationem excretione: Vomitus verò eſt Motus Ventriculi depravatus & concuſſivus, quos vis expultrix irritata, contractis fibris partis inferioris, laxatiſque ſuperioris, materiam in capacitate contentam ſibi moleſtam, ſenſibiliter per ſuperiora violento impetu rejicit.

Vomitus eſt vel *Periodicus*, vel *Criticus*, vel *Symptomaticus*. *Periodicus* eſt qui extra morboſam conſtitutionem, & velut naturâ aſſuetâ exercetur præcautionis gratiâ, & certis temporum intervallis repetitur, &c. *Criticus* Vomitus non raró contingit in morbis, eoque Materia morbifica ſalutaliter evacuatur, &c. *Symptomaticus* Vomitus fit a Natura irritata & debili-

bilitata, & ſine ægri allevatione contingit, &c.

Vomitum ab aſſumptis Venenis aliiſque rebus noxiis noli compeſcere, priuſquam cauſa Mali fuerit excluſa; ſecus ſi feceris, truculentiſſima ſigna ſequentur.

De Veſicæ Calculo, Ulcere, &c.

INter ſigna Diagnoſtica Ulceris Renum & Veſicæ, plurimum ac præcipuum eſt Puris excretio cum Urina, quæ diutius perſeverans, Ulcus in partibus Urinariis latens certiſſimè oſtendit. Utrum verò Renes an Veſica Ulcere afficiantur, cognoſcitur ex ſitu doloris, prout vel in regione lumborum, vel in Pube aut Perinæo infeſtat: præterea Pus a Renibus procedens, melius coctum eſt, album ſcilicet leve & minime fœtidum: quia Parenchyma Renum carnoſum melius concoquit: tum Pus copioſius eſt, ac Urinæ magis permixtum, quæ lacti ſimilis profunditur donec longe poſt mictionem Pus ab ea ſeparetur & in fundo reſideat: A Veſica verò emanans purulenta materia, pauca eſt, neque adeo concocta ſed cruda, variegata & graveolens. pars enim exſanguis & debili calore prædita, materiam ſufficienter elaborare nequit: Ex *collo* autem *Veſicæ* aut meatu Urinario, ſincerum Pus abſque Urina ſæpe excernitur; his adde quod in Ul-

cere Veſicæ aut illius cervicis perpetua adeſt Dyſuria, & continuus doloris ſenſus partem iſtam infeſtans, quod in Ulcere Renum minime fieri ſolet, ſed dilucida ſunt Dyſuriæ & doloris intervalla.

Semen, Pus, & Pituita, etſi ſæpe eodem candore in Urina ſe exhibeant, facile tamen a perito diſcernuntur: *Semen* ab aliis ſeparatum circa ſumma natat conſtanter, nec ſidit agitatum, ne quidem in Gonorrhœa: *Pus* & *Pituita* fundum petunt, ſed ad minimum motum Pus omnino diſſilit, ut Viſum pene effugiat, Urinamque Galactoïdem exhibet; Pituita gyratur; Puriformia partim deſiliunt, partim rotantur: cæterùm utraque quieſcente lotio, ſtatim ſubſidunt, Semine ſemper natante, niſi magnam a virulentia putredinem contraxerit.

Hæmorrhoïdum internarum dolores mentiri ſolent dolores Calculi in Veſicâ latentis; hi tamen multò atrociores, frequentiores quàm illi.

In quibuſdam ægrotis Calculo Veſicæ laborantibus non ſolet contingere Urinæ Suppreſſio, ideo hæc referri non poterit inter infallibila Calculi Veſicæ ſigna.

Si frequentior Mentulam contrectet patiens, & cum mingere incipit, deſidendi quoque voluntate teneatur, ſi dum per Urbem incedit divaricatis cruribus obambulet, ex tribus hiſce ſignis de Calculo Veſicæ certior fies.

Signum omnium certiſſimum Calculi in Veſica latentis eſt ejuſdem contactus a Ca-

the-

thetere factus, reliqua fallunt etiam periſſimos.

Calculum Veſicæ ad amuſſim mentitur Scirrhus ejuſdem.

Urina craſſa, & ſedimentoſa, albicans, viſcida, matuliſque adhærens, inter ſigna Calculi in Veſica non infimum locum obtinet.

In Calculo Veſicæ adeſt dolor in glande Penis, pruritus, & irritatio continua, quod inter pathognomonica ac certiſſima Calculi Veſicæ ſigna eſt.

In Ulcere Veſicæ adeſt dolor gravis in pectine & pube, quoties ægri mingunt, Urinæ difficultas accidit, ſæpius & teneſmus & Membri virilis erectio. Si in Pene vitium ſit, inter meiendum dolor percipitur, quod in Veſicæ ulceribus non accidit, niſi juxta ejus collum ulcus conſiſtat: malum ut plurimum eſt incurabile. —Ulcera Renum promptius quàm Veſicæ saneſcunt. Sane nimia purgatio in cruciatibus Calculi ſemper ſuſpecta eſt.

Obſervatum eſt a Lithotomis, ubi duo in Veſica concurrunt calculi, eos a mutuo attritu & alliſione læves & politos evadere.—Iiſdem etiam eſt familiare, ut ſi calculum lævem eximant, alterius ſocii deliteſcentis ſuſpicio ingruat. In calculo tria hæc ſpectantur, γένεσις, διαμονὴ, καὶ διέξοδος, id eſt, generatio, manſio, & exitus.

Mercatori omnia Calculi ſigna; Cathetere probatio non patuit: Mortuo

 duo

duo magni calculi reperti, ſinguli ſua membrana incluſi; Membrana illa judicium Catheteris eludebat.

De Variolis & Morbillis.

MOrbum hunc novum eſſe, & antiquis Medicis tàm Græcis quàm Romanis ignotum fuiſſe, extra dubium eſſe videtur. Fruſtra enim ſunt, qui ἀνθϱάκάς, ἐπινυκλίδας, & conſimilia in cute ἐξανθήματα, *Variolas* noſtras eſſe contendunt.

Ex Arabum igitur Medicorum libris petenda eſt prima morbi hujus notitia.—Horum facile princeps RHAZES circa Annum Æræ Chriſtianæ nongenteſimum inclaruit.—At paulo antiquiorem originem ejus repetit REISKIUS, viz. poſt CHRISTUM natum 622.

Dividi poſſunt Variolæ in *Simplices* & *Malignas: Simplices*, quæ cum febre ſimplici citò deſinente prorumpunt, facile matureſcunt, in pus ſincerum paucos poſt dies vertuntur, & in cruſtas tandem decidunt. *Malignæ*, quæ cum febre maligna ſe oſtendunt, ægrè ad maturitatem perveniunt, & prorſus non ſuppurant; aut ſi aliquatenus id eveniat, calore febrili nunquam ſe remittente, non ſine magna moleſtia in cruſtulas vertuntur. *Salivatio* in Adultis, atque in Infantibus *Diarrhœa* Variolas Confluentes plerumque comi-

comitantur—Ptyaliſmus nonnunquam ſub primum eruptionis tempus ſe prodit, nonnunquam non niſi poſtridie, biduove præterlapſo—Undecimo imminui incipit unà cum faciei tumore, at tunc primum manus intumeſcere ſolent aut debent.

Diarrhœa non ita mature Infantes ſolet invadere, atque Adultos *Salivatio*; quocunque verò tempore ingruerit, niſi arte ſiſtatur, ſingula morbi ſtadia decurrit.

Obſervavit ſemper SYDENHAMIUS in morbo vehementiori ægrum ſub veſperam quaſi paroxyſmo laboraſſe, & funeſtiora ſymptomata veſpertinis præſertim horis ſe oſtendere, atque exacerbari.

Inter ſigna mox erumpentium Variolarum ſunt motus convulſivi.

Qui in Variolis maxime ſputant, rarò moriuntur, nullumque Sputatorem in Variolis vidit mortuum WALDSCHMIDTIUS.

Adultiores ætate niſi recte tractentur in Variolis, ſæpe Phrenitici moriuntur, ideo nimius calor in tali ætate prudenter compeſcendus, ne caput impetat violenter.

Qui Variolas imperite tractant, morbos pectoris inflammatorios, interdum ſuffocationem repentinam producunt.

Qui purgant in principio Variolarum, vel Diaphoretica exhibent vehementia, febrem adaugent quàm ſæpiſſime, internas excitant inflammationes, deliria, inflammatorios pulmonum morbos, tuſſes violentiſſimas, & hujuſmodi quamplurima.

Si circa quartum, cum jamjam erum-

 punt,

punt, caput impetunt, cum magno calore, anxietate, motibus tendinum convulſivis & ſubſultoriis, &c. ſtatim imperandum cucurbibitulas ſcarificatas ſcapulis, & momento fere, facta quaſi furentis ſanguinis revulſione, omnia prædicta ſymptomata veluti in Ovo ſuffocantur, & paulò poſt feliciter erumpunt Variolæ.

In ſanguine e Venæſectione extracto, ſi cruſta alba magna, craſſaque (qualis in omnibus morbis inflammatoriis obſervatur) in ſuperficie apparent, ſignificat Variolas fore copioſas ac valde periculoſas.

Dyſenteria eruptioni Variolarum ſuccedens peſſimum cenſetur ſignum, ut & Urina ſanguinea, quæ humorum malignorum recurſum ad interiora ſignificant, imo & partes interiores non ſecus ac habitum Corporis puſtulis detineri.

In Confluentibus maxime periclitantur ægri, & plerique etiam moriuntur die undecimo; nam cum hoc fere tempore *Salivatio*, quæ ægrum hactenus in tuto poſuit, ſoleat deſinere ſponte ſua, niſi faciei intumeſcentia adhuc aliquantulum perſiſtens, ac manuum inſigniter jam incipiens ejus viſcera ſubeat, neceſſe eſt ut pereat ægrotus: id enim eſt perpendendum, quod in hoc Variolarum genere, ubi puſtulæ tam ſunt exiguæ, non ſalivatio tantùm, ſed faciei inſuper & manuum intumeſcentia ad materiam morbificam rite eliminandam omnino requiruntur, quarum utralibet, ſi vel non adſit, vel ante juſtum

ſtum tempus recedat, ægro protinus moriendum eſt.

Ut ſuſtentetur Ptyaliſmus (neceſſaria nempe hujuſce morbi evacuatio) conveniunt præ aliis quibuſcunque medicamenta narcotica; Somnum enim moderatè conciliando, efferam nimis Sanguinis ebullitionem ac proinde Phreneſin cohibent, præcaventque: Dein, ab eorum uſu faciei & manuum intumeſcentia, quam inſignem in hoc morbo Natura habet evacuationem, rectius procedit: quinetiam, quod non parum facit ad ægri ſecuritatem, cum non rarò juſto citius detumeſcat facies cum malis ægroti rebus, tumor narcoticorum ope ad debitum uſque naturæ terminum ſuffulcitur & protrahitur; mitigato enim ſanguinis fervore, radii inflammati opportunè ad manum, faciem, atque omnem corporis ſuperficiem pro morbi ingenio feruntur.

Quinetiam animadverti (verba ſunt magni SYDENHAMII) *Salivationem* quæ circa diem *undecimum*, aliquando etiam citius, cum ingenti ægri periculo minui ſolet, exhibitis plus ſemel *paregoricis* de novo fuiſſe redintegratam, nec ante diem *decimum quartum*, alicubi etiam & poſt illum, deſiiſſe.

Vix quenquam graviter hoc morbo correptum ſalvum fieri ſe vidiſſe teſtatur illuſtriſſimus MEADIUS, niſi cui, declinante febre, aut largiter *profluens Urina*, aut *reſolutus Venter*, ſaluti fuit.

 Mag-

Magnam cum Variolis affinitatem habent Morbilli.

Febrem eſſe, dicit SYDENHAMIUS, quæ ut naturâ, ita & medendi ratione, cum Variolis ſatis convenit.

Inflammatio Morbilloſa non ſolùm exteriora, ſed etiam interiora corporis occupat, & præcipue pulmonem, unde ſequitur tuſſis cum ſpirandi difficultate. Quanquam autem minus periculoſus ſit hic morbus, quam Variolæ, & breviori tempore maneat, quippe quæ ſexto fere, vel ſeptimo die, interdum verò octavo, ſquamis tenuiſſimis, farinæ inſtar, a corpore decidentibus, finiatur, cum graviori tamen, quàm illæ anxietate, & calore intenſiori ingruit. Idcirco calorem totius Corporis cum inflammatione, inquietudinem & animi angorem in Morbillis, quâm Variolis, gravius urgere obſervavit RHAZES.

Sanguis, incipiente morbo, pro ætatis ac virium ratione, detrahendus eſt, & ſi quidem id fieri poſſit, ante Puſtularum eruptionem; ſin illæ jam proruperint, nihilominus mitti debet.

Miſcellanea.

CApitis Dolor eſt vel *ἰδιοπαθικός*, qui fieri poteſt modo duplici, aut per πρωτοπαθείαν in ipſo capite, materia ſecun-

cundum congeſtionem, generationem & pravam diſpoſitionem producta: aut per δευτεροπαθείαν ϗ ὑστεροπαθείαν, materia in idem aliunde tranſlata & coacervata, nec per circulationem cum ſanguine alimentali ſuperfluo revecta: vel eſt συμπαθικός, qui certas habet differentias.

Dolor Capitis vel univerſalis eſt vel particularis, in quantum Sanguis aut ſerum ejus, modò per omnes ſimul arterias, ſcilicet tum carotidas, tum vertebrales: modò ſeorſim per has aut illas, aut ſymbolas aut oppoſitas noxam in Meninges transferunt. Hinc fit quod dolor interior aut Caput totum, aut maximam ejus partem infeſtet; aut regioni cuipiam privatæ limitatus, Hemicraniam modò in latere, modò in ſincipite, aut occipite producit.

Dolor Capitis vel extra Cranium eſt, vel intra cavitatem ejus: prior iſte & rarior & mitior affectus eſt, quia ſcilicet partes ſupra Cranium, nec tàm ſenſiles quàm Meninges interiores exiſtunt, nec tàm uberi Sanguinis affluxu irrigantur, ut a ſubito ac vehementi incurſu ejus ſupra modum diſtendi aut inflammari facile poſſint.

Obſervare eſt quod ubicunque Sanguis in partem aliquam copioſius influit, eamque irrigat, illic ſecedere ſerum ſuperfluum; quod niſi aut per Venas, aut per Vaſa Lymphatica reducatur, in parte redundare neceſſe eſt.

Ni-

Nihil frequentius occurrit quàm a Menſibus aut Lochiis ſuppreſſis Cephalalgias ſuccedere.

Inter præcipuas doloris Capitis differentias ea quæ a ſede cauſa deſumitur, quæ aut interna eſt aut externa, cum dolor internus periculoſior ſit & curatu difficilior.

Difficultas eſt in dignotione doloris Meningem craſſam aut tenuem afficientis: hinc tamen conjecturam aliquam capere poſſumus, quod cum affectus in Craſſiore reſidet, ad exteriora dolor vergit, ob Pericranium illi connexum: ſi verò in Tenui, dolor profundior ſit, cerebroque immerſus quaſi eſſe videatur, quod per omnes Cerebri anfractus diſſeminetur, eoſque ambiat: In utraque tamen affecta dolor ad oculorum radices, cum oculi globus a Cerebri membranis tunicas accipiat, pertingere poteſt.

Nulla omnium capite inferiorum pars eſt quæ magis & evidentius cum Cerebro conſenſum habeat, quàm Ventriculus per Nervos ſextæ conjugationis, & uterus per ſpinalem medullam, cui robuſtiſſimis tendinibus & ligamentis alligatus eſt, unde fit ut ab iis ſolis dolor ad Cerebrum, ſola condolentiæ ratione, nulla interveniente materia perveniat, cum uterque ab acrimonia humorum vellicatur & pungitur, aut multitudine ſola diſtenditur.

Dolor Capitis a morbo Italico infeſtat maxima ex parte noctu circa partem ante-

teriorem Capitis, vel circa tempora, aliquando exterius, aliquando interius; cum eſt exterius facile deprehenditur, nam ſæpe tumores præter naturam excitat: dolorem internum comitantur dolores articulorum.

Virgines & mulierculæ, ſi juventutis tempore multa acetaria & acida ingurgitaverint, ſæpe cum adoleverint, in immanes Capitis dolores incidunt; illa enim humores inſpiſſant, adeo ut circulationi inepti ſint.

Quibuſdam Apoplecticis facies rubeſcit, temporum & colli arteriæ pulſant, jugulareſque turgidiores apparent, cum ſcilicet obſtruuntur Carotides internæ & vertebrales, tunc copioſior ſanguis per externas diſtribuitur: Arterias autem & venas affluente copioſo ſanguine facile extendi patet in iis quibus mero incaluit, ſed maxime in gravidis, quarum vaſa quadruplò majora redduntur, vacuatoque humore ſubſident, atque priſtinæ gracilitati promptè redduntur.

In omni diuturno abſceſſu, ſive ſit cum evacuatione, ut Ulcus, Fiſtula, aut Hæmorrhoïs; ſive etiam ſine ea, ut vetus Podagra, videndum eſt quomodo cures: Plurimi enim eorum qui tali morbo multis jam annis laborarunt, ſolent in Nephritidem aut Aſthma, aut etiam aliquam Apoplecticarum paſſionum incidere; ut contrà multis fieri vidi (Vallesii ſunt verba) ex Epilepſia, aut alio Cerebri magno morbo Nephri-

phritidem, & ex hac Podagram: Tales igitur abſceſſus, cum jam ſint inveterati, etſi cum evacuatione non ſint, dico eſſe aliorum morborum medelam & curari ſæpe prohibeo.

Obſervandum eſt ſi Polypi in Corde & Arteriis exiſtant, eoſdem etiam in Venis infallibiliter occurrere.

Apoplexia nihil aliud eſt quàm Cerebri Paralyſis, ſive ab obſtructione intùs facta, ſive a preſſura rei cujuſvis externæ.

Quicquid ex Viſceribus ad Cutem abit, non debet retrudi.

Multos vidit indeEpilepticos evaſiſſe FERNELIUS, quod in curanda Lue Venerea,dum unguentis ex Hydrargyro illinirentur, nonnihil in Aurem & in Cerebrum penetraſſet.

Affinis eſt Convulſioni Paralyſis tàm materiæ ratione quàm Nervorum affectorum, unde ſibi invicem ſuccedunt, ſubinde, quoque ſe preſſo pede comitantur.

Pulmonibus læſis non neceſſe eſt ut ſemper tuſſis adſit: itaque non concludendum eſt, Tuſſis nulla moleſtat, ergo ſalvi ſunt Pulmones.

Empyema nunquam primario & per ſeſe incipit, ſed aliorum morborum haud rite judicatorum fere ſemper productum eſt.

Hydrops pectoris,ut cognitu difficilis eſt, ita etiam curatu: cognoſcitur enim proprie difficultate ſpirandi, quod ſignum tamen ambiguum: Signum pathognomonicum ſtatuere oportet, inquit C. PISO, eam in ſpirando difficultatem ac crebritatem, quæ

de

de ſubito ſomni primo tempore invadat & quiete defraudet; ſed tamen procedente die ſenſim renteſcat; quod ſignum tum ratio mihi dictavit, tum experientia in omnibus confirmavit.

Reſpirandi difficultatis cauſa non ſemper in Pulmonibus & Thorace latet, temereque & inſcienter multi illuc recurrunt, cum ſæpe aut Hepar tumens, aut Hypochondriaca affectio, aut affectus Renalis, aut vitium nervorum a Spinali medullâ derivatorum ortum præbeat.

Aſthma deſcribi poteſt, quod ſit reſpiratio difficilis, crebra, & anheloſa, cum magna pectoris agitatione, & plerumque citra febrem.

Tuſſis deſcribi poteſt, quod ſit exſpiratio vehemens, crebrior, inæqualis & ſonora, propter cujuſdam moleſti & irritantis aut ſedationem, aut e pulmonibus, per Tracheæ ductus expulſionem, excitata.

Pleuritis pro majori parte unum tantùm latus occupat, raró utrumque, ob diſtantiam dextri lateris a ſiniſtro: e contra verò Peripneumonia ob pulmonis loborum connexionem & continuitatem, raró evenit unam ejus partem inflammari, altera permanente illæſa.

Pleuritis diſtingui ſolet, quod ſit vel exquiſita & vera, ab inflammatione ipſius pleuræ, ex affluxu ſanguinis efferveſcentis; vel notha, quæ ſedem habet in muſculis intercoſtalibus, vel in eorum interſtitiis,

ſtitiis, a flatu, vel humore ſeroſo & acri ibidem aggeſto.

In Pleuritide, Angina, Peripneumonia, & ſimilibus affectibus, advertere licet ſanguinis aptitudinem quandam ad coagulandum, quâ fit minus fluxilis, adeoque in vaſis minoribus. Ligaturæ ſanguinis e naribus, ore, fluentis motum ſiſtunt brachiis injectæ, non quod ratione doloris aut caloris trahant, ſed quod ſanguinem ex arteriis abſumptum, ad Cor per venas tendentem, quò minus tam citò ad dextrum ventriculum perveniat, retardent; hoc in fundamento jacet vis ligaturarum, dum injiciuntur parti ſanæ, ſanguinem per venas ad affectam refluere in copia prohibent, & ſic pars affecta ab influxu liberatur.

Adnotat BENETTUS Phthiſin plerumque lethalem eſſe, ubi pulmones pleuræ accreverint; inducta ſcilicet graviori reſpiratione & tranſpiratione pulmonum difficiliori reddita.

Id notandum in plurimis quos aperuimus, nunquam ſiniſtrum lobum ſolum adnatum vidimus, ſed vel utrumque vel dextrum; ratio, ut ingenue fatear (inquit BONTIUS) me latet, niſi forte quia in dextro latere tantum Vena Azygos, ſine pari eſt, quæ in Pleuritide tuſſi valida rupta, hanc amurcam a ſe rejecit, unde etiam in dextro latere Pleuritides exquiſitæ magis oriuntur.

Non omnes qui Tabe pereunt ſemper ſanguinem expuunt, & ii qui id faciunt, non

non ſemper cum tuſſi eam rejiciunt, ſed ſolùm cum ulcus in profundioribus pulmonis partibus eſt, ubi majora ſunt vaſa, quæ ſanguinem continent.

Phthiſin a toto ſubinde Venoſo genere induci plane ſum certus, ait T. BARTHOLINUS; ſanguinis enim vitium non corpus tantùm emaciat, ſed & pulmones, quos in circulatione tranſit, omnis (ſive aut horum culpa aut Cerebri) ſua acrimonia irritat & corrumpit; a quocunque tamen vitio Phthiſis dependeat, pulmones tamen in plerìſque Phthiſicis tandem depravatos obſervavi. Circa pulſus diligentes & ſedulos eſſe oportet: magnum enim habent momentum ad Therapiam & ad reliquas Medicinæ partes, ſed ad Diagnoſin Prognoſinque maxime.

In morbis nunquam ab ægro diſcedas, niſi prius linguam inſpexeris: hæc ſtatum ſanguinis præ aliis ſignis & apertius & certius nobis indicat; reliqua namque ſigna ſæpiſſime fallunt; hæc aut nunquam, aut raro; & niſi ſapor, color, aliaque linguæ accidentia ad naturalem ſtatum redacta ſint, nunquam ægrum tutum dato adſtantibus, aliter male nomini tuo conſules.

Non omnes qui ſubitò moriuntur, Apoplectici ſunt, & fruſtra cauſam quærunt Anatomici in Capite, cum in Thorace ſit. Dolor qui ſub quartam pomeridianam repetit, indicat Meſaræi venas obſtructas, & ſpeciem quandam melancholiæ Hypochondriacæ conſtituit.

Quibuſdam ante cibum dolor exacerbatur, & hoc Bilis dominium ſignificat, quæ

jejunii tempore exagitatur & in ventriculum attrahitur, aut magis intenditur, & acrior evadit. Aliis ſtatim ab aſſumpto cibo dolor commovetur, quia humores crudi & mordaces, qui antea quieti erant & Ventriculi tunicis infixi, ab aſſumpto cibo commoventur; vel qui in fundo Ventriculi hærebant ſurſum attolluntur & orificium Ventriculi afficiuntur; aliis dum cibus concoquitur dolor exacerbatur, quia vapores acres & mordaces elevantur ex materia morbifica, a calore aucto in Ventriculo tempore concoctionis: alii quatuor aut quinque horis a paſtu, quia ex coctione depravata cibi & corrumpuntur, & corrupti Ventriculum vellicant. Quibuſdam denique poſt ſomnum dolor exacerbatur, & ille fit a Catarrho, fluente humore a Cerebro per ſomnum, qui majori copia cumulatus, dolorem in vigilia producit: ſedatur verò interdum dolor a cibo, quia ciborum benignitate humoris acrimonia demulcetur.

Triplices ſunt *πικρόχολοι*, *ἄνω*, *κάτω* & *ἔξω*· *ἄνω*, quibus Bilis in fundum Ventriculi influit; *κάτω* in Inteſtinis; *ἔξω*, quibus in Habitum, ut in Ictericis.

Cum vomunt ſæpe & contorquent corpus pueri, loco non conſiſtentes, de Nephritide conjectura eſſe debet, & Fomenta ad Renes applicanda: Quod notandum, ut prudentia Medici infantium imbecillitati & infantiæ humaniter ſuccurrat.

Dyſenteriæ aut ſunt Inteſtinales & Meſentericæ, aut Hepaticæ: abſurdum enim

eſt

eſt omnem Dyſenteriam attribuere Inteſtinis, ex eo quod τῆς δυσεντερίας nomen ἀπὸ τῶν ἐντέρων derivetur: Inteſtinales & Meſentericæ fiunt ex eo quod illæſo Hepate, & in Inteſtinis & in Meſenterio prima mali labes, ſive cælitus impreſſa, ſive a vitio ipſius excrementi manet: Hepaticæ aut ſunt criticæ, aut fiunt κατὰ τὴν λύσιν, aut κατὰ τὸν πιεσμὸν: ſi ſunt Criticæ, prohibendæ non ſunt, ſed humorum curſus frænandus eſt & moderandus: ſi fiunt κατὰ τὴν λύσιν, fatiſcentis facultatis ſunt ſignum, & hæ ſunt lethales, niſi legitima remedia adhibeantur: Cum verò fiunt κατὰ τὸν πιεσμὸν, i. e. per expreſſionem quandam & excuſſionem, id eo modo contingit: Cava Hepatis ſæpe abundant multo humore, eoque ἑτερογενεῖ, & dum Natura id nititur excutere, fiunt Vomitiones, Nauſeæ, ἀλυσμοὶ, ῥιπτασμοὶ ἄσσαι Febres, & Cacochymia communicatur venis & partibus aliis. Ergo ſicut ſunt morborum ideæ diverſæ, ita & illorum remedia varia ſunt; prout variæ ſunt Dyſenteriæ, ita variare remedia oportet.

Dyſenteria eruptioni Variolarum ſuccedens peſſimum eſt ſignum, ut & urina ſanguinea, quæ humorum malignorum recurſum ad interiora ſignificat, imo & partes interiores, non ſecus ac habitum Corporis puſtulis detineri.

Colicus dolor fere vagus eſt, cinguli inſtar medium Ventrem affligens; Nephriticus fixus eſt in Rene, ſecundum Ureteris

ductum ad Teſtem expanſus: Ingeſtus cibus colicum auget, ventriculi plenitudine colon opprimente; Nephriticus inde miteſcit, ſucci alimentarii parte ad renes delata, unde doloris mulcebra: In Colico Vomitus magis urget, alvuſque adſtrictior ob viciniam fundi Ventriculi & Coli, & inteſtina offenſa ſeſe conſtringunt, quo a moleſtia ſe liberent: Id autem cæteris paribus intelligendum, intenſus enim Nephriticus dolor majorem vomitum levi Colico movebit. In Colico ab excretis ſurſum deorſumve majus ſolatium accedit quàm in Nephritico: Diſcrimen dant Urinæ, quæ craſſiores initio in Colico; tenues autem primo & limpidæ, in ſucceſſu hypoſtaſin exhibent, ſi Nephritis adſit.

Inflammationis Hepatis ſigna pathognomonica ſunt. 1. Gravitas in dextro Hypochondrio, quæ a repletione & diſtentione hepatis oritur; viſcus enim amplum & compactum, ſi humore multo turgeat, grave evadit, cum moleſtia dum corpus a latere in latus devolvitur. 2. Dolor in uno, duobus vel tribus locis perceptus; gravativus in hepatis regione, ſi inflammatio ſuſpenſoria ligamenta obſidet; tenſivus eſt circa nothas coſtas, imo ad jugulum uſque pertingens per communicationem Membranarum. 3. Febris, magis vel minus acuta pro natura humoris peccantis, fere noctu ingraveſcens. 4. Dyſpnœa, ob viciniam Hepatis & Diaphragmatis, & hoc infra a gravitate illius depreſſo, & in motu impedito ab intumeſcentia. Secundum Naturam

turam Renes colore obſcurè rubri ſunt, rarò intenſè rubent.

Hæmorrhoïdibus internis non fluentibus, interdum Hydrops naſcitur, materia quæ qualitate & copia peccat, reſtagnante ad Colon, quo inflammato dolor ac ſitis, hinc aqua liberalius hauſta, læsâ primâ coctione, quæ ſecunda non emendatur, perturbatio ac Hydrops.

Mirum videri poſſit quod redundante in Vaſis internis atro & exuſto ſanguine, floridus & ruber vena aperta eductus ſit: at verò conſtat ſæpe diſſimilem contineri ſanguinem in corpore, ut alius in interioribus, alius in habitu; imo alium educi tusâ cephalicâ, alium baſilicâ.

Hydropici non ſunt violentis remediis tractandi, præcipue ἄνω ϗ κάτω moventibus, nam hiſce Lympha totius corporis impensè agitatur, agitata vaſa dilatat, diſrumpit, hincque in ſpatia inania, tum pectoris tum abdominis abundantius impellitur: Commota aqua acrior, utpote a Natura minus ſubacta, & aſperior redditur, viſcera inſigniter labefactat, incendit, calorem nativum peſſundat, ut exaſperata febri, aucta ſiti, deperdito appetitu, inductis vigiliis, exſolutis viribus, tragicus brevi ſubſequatur eventus. Profuiſſe paracenteſin obſervavimus in ætate florenti a morbi initio, integriſque viſceribus: Eſt tamen caſus quo fruſtra tentamus hanc evacuationis viam, etiamſi ætas & morbi infantia faveat, & cætera omnia, quando ſcilicet aqua in veſiculis colligitur, vario

abdominis loco diſperſis, aperta enim una veſica, reliquas non evacuat, quanquam cohæreant racemorum in morem.

Celeberrimus TYCHO DE BRAHE, qui cum *Pragæ* in ſolenni convivio ultra vires & conſuetudinem detineretur, diuque urinam cohiberet, poſtea liber urinam amplius excernere non potuit, ſed ſuccedente Veſicæ inflammatione paulo poſt interiit.

Si crebrò æger cum ſumma difficultate, & quidem in fine mictionis, cogitur reddere urinas; urina verò hæc ubi lactea ſeu alba apparet, crebròque diverſis coloribus variegata; ſique accedant congeſtionis & conglutinationis cauſæ, partium circumvicinarum pondus, ſique in medio profluxu intercipiatur, ac mucus ſeu gluten urinis innatet, guttaque ſanguinis aliquando in fine mictionis profluat, Calculus Veſicæ in vitio eſt.

Obſervare eſt in pleriſque Nephritidi obnoxiis paroxyſmo ingruente urinam limpidam & copioſam reddi; cujus cauſa eſt, quod humor acidus per ductus nerveos illuc delatus, & dolorem excitans, imprimis ſanguinem renibus illabentem fundit, ſeríque uberioris ab eo deceſſum producit.

Diabetes in legitimum & ſpurium dividitur. Legitimus excretio eſt rei potulentæ prorſus non mutatæ, in odore, colore, & ſapore per vias lotii; Spurius, quem *Arabes* multitudinem urinæ appellarunt, eſt excretio urinæ in tanta copia, quæ longè ſuperat quantitatem rei aſſumptæ humidæ.

Cauſa involuntarii urinæ effluvii, quod &

& vigilantibus & dormientibus accidit, eſt vitium Sphincteris Veſicæ, qui relaxatus & imbecillis redditus eſt, ut ſeſe contrahere nequeat, & orificium Veſicæ claudere, unde urinæ exitus fere ſemper patet, & invitis etiam ac neſcientibus effluit.

Pus in urina ulcus in Veſicæ cervice, aut in renibus antiquatum oſtendit, & quod a Veſica eſt graviter olet: quanquam enim omne pus male olet, tamen quod ex Veſica cæteris gravius, idque tum ob ſubſtantiæ Veſicæ naturam, quæ quia carnea non eſt, adeoque longiore tempore, & violentiore cauſa indiget ad putrefactionem, magis putrefit, tum propter naturalem loci inquinationem.

Inſignis eſt mammarum cum utero conſenſus, quo illæ ſororiantur cum hic primum patitur fervoris impetum ad menſtruas purgationes, & in gravidis ſenſim lacte replentur: ob eundem in gravidis, ſi mammæ ſubitò extenuentur, abortus periculum ſignificant; ſi lac copioſe profundant fœtus, indicant imbecillitatem.

Etſi difficilis partus cauſæ multiplices ſint, omnes tamen ad tria reduci poſſunt; aut enim nimis anguſtum eſt Os Uteri, ut in illis qui nunquam pepererunt, aut ulcere aliquo in partibus illis laborarunt, aut quibus conſtitutio corporis ſicciſſima eſt: Altera cauſa eſt ſitus fœtus præternaturalis; tertia eſt expultricis facultatis labefactatio aut proſtratio, quæ fit aut ob virium cordis abolitionem, aut ex ſolo vitio uteri.

Gravidæ plerumque ſunt pigrioris alvi,

quia

quia muſculi Epigaſtrii, ob Uteri diſtenſionem, vix ad compreſſionem commovent.

Inter ſigna Secundinarum portionis reſtitantis hoc certiſſimum eſt, ſi Uteri purgamenta fœtorem cadaveroſum referunt.

Obſervare eſt quod ubicunque ſanguis in partem aliquam copioſius influit, eamque irrigat, illic ſecedere ſerum ſuperfluum; quod niſi aut per venas, aut per vaſa lymphatica reducatur, in parte redundare neceſſe eſt.

Si vis explorare utrum in parte quadam inflammatio adſit, annon, applica topica calida, ſi iſta pars ferat, nulla adeſt inflammatio, ſin autem non ferat, certò credas inflammationem adeſſe, & inde ſubſequuturum abſceſſum.

Notiſſimum eſt nullas partes conſenſionis vim majorem atque Cerebrum & Ventriculi officium invicem obtinere.

Sedimentum primò rubrum, dein ſenſim albeſcens, laudatur, quia nempe perfectam coctionem & ſubactionem materiæ morboſæ indicat.

In febribus tumultum ab emetico concitatum Opio ſedare oportet.

Illud obſervatu dignum eſt, quandoque accidere ut æger Clyſterum aliorumque catharticorum uſu, circa inclinationem morbi intempeſtivè præſcriptorum, parum alleviari videatur; imo nonnunquam apyrexiâ omnimodâ frui, poſt diem autem unum alterumve, ſenties novam Febrem accendi, quæ idem ſtadium ac prior decurſura eſt, niſi forſan in intermittentium claſſem ſe reponat.

FINIS.